LUDOVICI ELLIES DU PIN

METHODUS STUDII THEOLOGICI RECTE INSTITUENDI,

Cum

Indice Quæstionum præcipuarum, quæ in cursu Theologico examinandæ atque discutiendæ veniunt:

Adduntur præcipui Auctorum libri in quocunque argumento legendi.

Ex Gallico in Latinum sermonem vertit

M. JO. MARTINUS CHRISTELL.

Præfationem

de Vita, Scriptis, & Fatis Du-Pinii

præmisit

JOANNES FRICKIUS,

S. Th P.

Augustæ Vindelicorum,

Apud DAVID RAYMUNDUM MERZ,

& JO. JACOBUM MAYER, 1722.

9

GENEROSO ATQUE NOBILISSIMO DOMINO

JACOBO FRIDERICO VELSERO,

SS. THEOLOGIÆ STUDIOSO SOLERTISSIMO,

FAUTORI ATQUE AMICO ÆSTUMATISSIMO,

S. P. D.

MUltæ me, eæque prægnantes causæ commovent, ut librum hunc Nobilissimo tuo Nomini inscribam. Nihil nunc in præ-

ſenti de ſumma illa benivolentia, deque humanitate plane ſingulari, qua Generoſiſſimus Dominus Parens Tuus, Mœcenas optumus, meam hucusque tenuitatem eſt amplexus, nihil de beneficiis dicam, quibus laudatus modo Dn. Tuus Genitor cum multis aliis ſummi Nominis Patronis, curriculum meum Academicum egregiè promoverunt, ſuſtentarunt: ipſa potiſſimum præſtantiſſimi hujus libri materia concinnam ſtudii Theologici rectè inſtituendi methodum abſolvens, auctor mihi exiſtit, ut Tibi Theologiæ jam in Celeberrima Salana ſtrenuam atque indefeſſam operam

danti

danti ſacrum eum cupiam offeramque. Sane locupletem multifariæ & reconditæ eruditionis adparatum Theologiæ ſtudioſis imprimis neceſſarium tractatus iſte continet, atque ejus frequens uſus atque lectio uberimos ſuo tempore fructus poſſeſſori ſuppeditabit. Sunt equidem ut ex præfatione mea ad lectorem videre eſt, multa in hoc elegantiſſimo libro, quæ circumſpectè & ſubacto judicio legi, imo quæ rejici prorſus debeant; at vero neque hæc Auctoris cetera candidiſſimi παραπτώματα à via Te regia abducent, cum per luſtrum, ni fallor, ab excellentiſſimorum Profeſſorum ore

ſedulus pendens ſolidum absque dubio in Philoſophia, litteris humanioribus atque Theologia fundamentum jeceris, quo ſubnixus verum à falſo, genuinum à ſuppoſititio, certum ab incerto facile diſtinguere, quæque ſubinde manca ſunt, è ſeleƈtiſſimis colleƈtaneis indies magis magisque perfeƈtiora reddere poteris. Accipe itaque libens volensque munus hoc chartaceum utut levidenſe; accipe quæſo eo animo, quo ego amoris in Te plenus publice Tibi inſinuo atque conſecro. Quod reliquum eſt, DEUM ſupplex veneror, ut ſacra ſtudia Tua lætis jamdudum auſpiciis

incepta, faustoque successu ad hunc usque diem provecta benignâ Gratiæ suæ aurâ perpetuo adspirante, porro secundet, eaque ad exoptatissimum demum finem recto tramite perducat; donec aliquando amplissimis præclarissimarum scientiarum præmiis condecoratus in Augustam Patriam redux, Generis, Virtutis, Pietatis atque Eruditionis splendore nulli secundus; DEO, Ecclesiæ, orbi literario, & imprimis Illustri Familiæ maximo firmissimoque sis commodo, ornamento, atque gaudio. Vale Musarum Cultor Nobilissimarum Nobilissime, Fautor & Amice æstu-

matiſſime, Tibique me de meliori commendatum habe, id quod enixe rogitat

Tuus totus

Dab. Kaufbeuræ d. 19. Februarii,

Anno cIↄ Iↄcc xxII.

M. Jo. Mar. Chriſtell.

Q. B. V.

Q. B. V.

Lectori Benevolo

JOANNES FRICKIUS, S.T.P.

S.

QUem hic vides, Lector Optime, librum, vel ob ſolum quoque nomen Auctoris, tam notum undique eruditis, tam ob merita in remp. literariam illuſtria celebre, haud vulgari in pretio habebis reor. Et ſane non opus erat hedera qualicunque noſtra, ni rogatu ſuaſuque amicorum viſum fuiſſet non indecens, aliqua de inſtituto libri; prius vero de vita auctoris haud ita dudum, anno nimirum 1719. defuncti, præfando commemorare: Nam, qui tot veterum pariter ac recentiorum Eccleſiæ omnis ævi doctorum vitas & ſcripta nobis recenſuit,

Bibliotheca ipſe, dum viveret, ἔμψυχος καὶ περιπατοῦσα, quique jure merito magnum habetur Galliæ Eruditæ ornamentum, eccur non, tenui licet penicillo, adumbrari à nobis, & commemorari quoad merita, ſcripta, fata mereretur? Tenuit ipſe quidem hoc inſtitutum, ut poſtremo Bibliothecæ ſuæ Eccleſiaſticæ tomo de ſe librisque ſuis luculentam commentationem insereret: ſecutus exempla veterum, S. Hieronymi, Gennadii Maſſilienſis, Honorii Auguſtodunenſis, Sigeberti Gemblacenſis, queis & Joannes Trithemius accedit; quorum Catalogi de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſui etiam unusquisque auctoris vitam, aut librorum editorum ſeriem ab ipſomet auctore ſcriptam nobis exhibent. Id quod & χαλκέντερος ille Conradus Gesnerus in Bibliotheca ſua de ſe præſtitit, haud vulgarem ob idipſum quoque meritus gratiam ab orbe literato. Hos ergo dum imitatur Du-Pinius noſter, utinam omnium omnino ſcriptorum ſuorum dediſſet catalogum, quantumvis aliquando absque adjecto nomine ſuo editorum, aut quæ invitus edere coactus eſt; tum de librorum ſuorum, ut & de ſuismet ipſius fatis aliquando adverſioribus eorumq; cauſis quædam adjeciſſet: quæ, & alia iſthuc

forte

forte ſpectantia ex monumentis fide dignis collecta nos pro inſtituti ratione, breviter jam age dicemus.

LUDOVICUS ELLIES DU-PINIUS, Pariſiis ex antiqua Normanniæ familia nobili, An. 1657. natus mox à puero qualem ſperare debeat virum orbis eruditus oſtendit. Tanta enim aviditate parvulus literarum rudimenta protinus imbibit, tanto fervore puer curſum literarum humaniorum ac philoſophiæ emenſus eſt, ut adoleſcentulus quindecim annorum publico omnium applauſu Magiſter Artium An. 1672. renuntiaretur, raro præcocitatis feliciſſimæ exemplo: quod & eo magis dignum notatu eſt, quo minus aut elanguit ignea ingenii vis deinceps, aut indoles ad inanem faſtum, quod familiare alias adoleſcentulis, inclinata quidquam de ardore proficiendi remiſit. Imo vero mox ad ſolida magis animum applicuit, & electo ſponte, quod ſequeretur, ſtudio Theologiæ, celeberrimæ Pariſienſium Sorbonæ Scholas adiit, & Profeſſorum Facultatis illius (quæ ſe principem fere inter Chriſtianas Academias non ſine ſupercilio jactat) dogmate per triennium ita audivit, ut ſimul jam tum ſalubriter animadverterit, non iſtis lectionibus, ſcholiſque

Profeſ-

Professorum perfici ſtudium Theologiæ, aut, quod vulgus ſemidoctum loquitur, abſolvi curriculo pauculorum annorum; ſed hauriri velut prægustu aliquo primitias ſolum ſacræ eruditionis, animumque, ſi probe attenderit, à doctoribus publicis diſponi, quo ipſe colligat dextre privato ſtudio, & è fontibus indefeſſo ſcrutinio petat apparatum ſolidæ eruditionis, indies magis atque magis cum cura perficiendæ. Quod utinam & ſtudioſi noſtrates animis quisque ſuis alte infigerent, toties moniti à viris præſtantiſſimis, quorum ab ore pendent! Non ſane, hoc ſi fiet, tam fœde poſthac levitate multorum juvenili, & inanis præfidentiæ faſtu peccabitur. Nam haud dubie multi pervenirent ad eruditionem ſolidam, ni eo ſe jam perveniſſe graviſſimo errore putarent.

Noſter itaque Du-Pinius poſt tyrocinium in Sorbonæ Scholis triennio primo poſitum cum per ætatem nondum adſpirare ad gradum aliquem in Theologia poſſet, annos natus ſolum octodecim (Habet enim Schola Pariſienſis ſuas etiam, quoad ætatem, in honoribus dandis, ut in toto curriculo ſtudiorum, leges, quas in hoc ipſo libro Pinius exacte infra commemorat,) totum

ſeſe

ſeſe privato ſtudio Eccleſiaſticæ Antiquitati immerſit, in legendis juxta ſeriem ſeculorum Hiſtoriis veterum, Actis Conciliorum, Patrum ac Scriptorum Eccleſiaſticorum vaſtis operibus indefeſſus: minime neglecto interim Sacræ Scripturæ ſtudio, quod maximi omnino fecit, & in ipſis linguarum Græcæ & Hebraicæ fontibus ſollicite Studioſis Theologiæ ſcrutandum iterum atque iterum in hoc, cui præfamur, Methodi libello commendat. Nihil nunc dicimus de ſtudio viri in re Critita, Chronologica, Literaria, & lectione recentiorum, qui ad ſtudium Antiquitatis vel commentati ſunt data opera, vel operam data occaſione præclaram contulerunt: in quibus omnibus evolvendis maxime ſedulus extitit.

Atque ita factum, ut ante plurimos alios moliri magna poſſet vir doctus utiliſſimus Eccleſiæ Gallicanæ non uno nomine futurus, celebre etiam nomen late per omnem literatum orbem adepturus. Honores interim, pridem jam forte debitos creſcentibus annis, ſuaſu amicorum petiit in Sorbona, adiitque; Baccalaureus Theologiæ more apud ſuos recepto primum creatus An. 1680. Mox poſt intervalla debita Licentiatus, & An. 1684. Doctor, atque adeo Magiſter

Facul-

Facultatis haud utique infimus. Acceſſit non ita multo poſt dignitas Profeſſoris Philoſophiæ Regii, qua ob eruditionem egregiam mactus fuit.

Ceterum longe magis adhuc inclaruit fama viri, ex quo *Bibliothecæ Eccleſiaſticæ* opus inſigne ac voluminoſum edere in lucem cœpit, quod deinceps per ſolidos triginta annos ita continuavit, ut in emiſſis ab An. 1686. ad An. 1715. incluſ. tomis XIX. inde ab ortu Eccleſiæ JEſu Chriſti usque ad tempus noſtrum neminem Patrum veterum, & deinceps ſcriptorum celebriorum vix quenquam juxta ſeriem ſeculorum ſeptendecim prǽterierit, cujus non vitam, res geſtas, fata, ſcripta recenſuerit accurate ut plurimum, aut ſane, tametſi non ſemper absque nævis, diligenter; cordata inſuper critice ſcriptorum dubiorum adjecta; tum hiſtoria Conciliorum, quam magno ſtudio, candoreque haud vulgari adornat: ut excerpta nunc ſileam, queis ad imitationem Photii ex antiquis, aut Abrahami Sculteti è recentioribus, præcipua librorum quos recenſet, capita aut momenta ubique compendio eleganti refert. Non mirum ergo, ſi communi eruditorum ſuffragio laudata plauſuque excepta Bibliotheca magnum

gnum autori ſuo nomen peperit. Nam, ut ſua laude non careant ex cœtu Romano Sixtus Senenſis, & Antonius Poſſevinus, qui multa nos de veteribus Eccleſiæ Scriptoribus pulcra docuerunt: ut collegerit præclara de iisdem Aubertus Miræus, plagii tamen ſubinde reus: ut famam haud vulgarem adeptus ſit liber Card. Bellarmini de eodem argumento; & qui multis Bellarminum paraſangis peritia linguæ Græcæ, judicio critico, & literario apparatu ſuperat, Philippus Labbeus, edita duobus tomis doctiſſima, ſimul tamen & in Proteſtantes quosvis virulenta de Scriptoribus Eccl. Diſſertatione: de Oudini Supplemento ut ſileam. Hos omnes vicit amplitudine argumenti, inſtituti amœnitate, candore judicii (etiam ubi arrogantiæ Pontificum Romanorum, & quæſitis Curiæ Papalis per vim & obtorto collo juribus, pro Eccleſiæ libertate priſcorum è Patrum monumentis obviandum eſt) tum & modeſtia in diſſentientes Du-Pinius noſter. Adverſus quem tamen, quod viciſſim diſſimulari non debet, plures uno adverſarii, non minus docti quam potentes varias ob cauſas coorti ſunt, imo graves etiam ipſi extiterunt.

Richar-

Richardus Simonius inter primos fuit, celebris ille Criticorum Ariſtarchus; qui ſimul ac in Diſſertatione Bibliothecæ Pinianæ præliminari ſyſtema ſuum de inſpiratione Sacræ Scripturæ, & de Scribis-Prophetis (quos in Veteri Teſtamento, inde à Moſis tempore extitiſſe perpetua ſucceſſione, Acta tabulasque publicas collegiſſe, adſervaſſe, denique ex his libros, quos Moſi, Joſuæ, aliisque Sacris Scriptoribus Sacræ paginæ adſcribunt, compoſuiſſe, velut excerpta ex Actis, fingit) impugnari vidit, acerba mox cenſura invectus in librum ſimul atque autorem eſt, edito *de Inſpiratione* tractatu; in quo, ut & in alia diſſertatione ſub *Reuchlini* nomine edita; tum rurſus, poſtquam in *Prolegomenis Biblicis* noſter ſe vindicare inſtituiſſet, maxime in *Epiſtolis Criticis* Du-Pinium, velut Græcæ & Hebraicæ linguæ ignarum & Criticæ ſacræ omnino imparem falſe traducit, objectis ſane quoque nævis aliquibus, ſed qui mordacem adeo notam forte non merebantur. Alter adverſarius, & qui multo plura, totum nempe tomum primum, quin & deinceps ſecundum Bibliothecæ Pinianæ aggreſſus eſt, è familia Benedictinorum prodiit (aſt non è congregatione S. Mauri, verum de S. Vannes)

Mat-

Matthæus Petit-Didier, Diſplicuit huic, ut apparet, candor Du-Pinii, qui de libris apocryphis Vet. Teſt. Judith, Sap. lib. &c. faſſus eſt, non fuiſſe receptos in Canonem Sacræ Scripturæ à Patribus trium primorum ſeculorum, quorum ſcripta ſuperſunt, quique ex inſtituto agunt de Canone: tum de Purgatorio nihil in iisdem haberi; de peccato originis culpaque illius non multam, neque ſatis diſtinctam traditionem in ſcriptis iſtis reperiri: nullos illis temporibus fuiſſe ordines Monachorum, non jejunium quadrageſimale ubivis per eccleſias receptum; neque decimas clericis certa adhucdum adſignatas lege: Symbolum quod dicitur Apoſtolorum non eſſe conceptis verbis ab iisdem confectum: Confeſſionem auricularem ex Irenæo probari non poſſe: Victorem Epiſcopum Romanorum præcipiti ſententia Orientales excommunicaſſe, ab Irenæo eapropter leniter caſtigatum: Hæc capita, collectis ſimul & aliis minoris momenti, male habuerunt Petit-Didierum, & anſam dederunt Cenſuræ adverſiori: quam Du-Pinius tamen edita *Reſponſione* diſpulit.

Verum, dum hoc agebat, magna tempeſtas oriri cœpit: jamque procul terrebant fulgetra, quæ ingens viro doctiſſimo

periculum minitabantur: eo etiam gravius, quo intrepidius ipſe prætenſa Paparum jura in alio inſuper ſcripto convellebat. Ediderat enim, dum Bibliothecæ ſuæ invigilat, velut intercalares *de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina Diſſertationes* ſeptem Latinas An. 1691. hercle vero pro libertate Eccleſiæ animoſas. Nam Primatum Pontificis per univerſas orbis Romani Eccleſias Nicææ in Concilio fuiſſe ſtabilitum pernegat; deinde Jus Appellationum ex omnibus Eccleſiis ad ſedem Romanam olim minime conceſſum, acriter per valida argumenta contendit: porro ſententiam Italorum de Primatu Papæ Monarchico data opera impugnat; contenditque modis omnibus, judicium Papæ non eſſe irreformabile, nec infallibile, ſed erroribus omnino obnoxium: mox indubiam credi debere Conciliorum ſupra Papam auctoritatem: denique nullam eſſe Pontifici aut Eccleſiæ in Reges aut Imperatores eorumque bona & ſubditos in temporalibus auctoritatem neque directam, neque indirectam valide propugnat. Haud facile dictu, quantum hæc pupugerint homines Curiæ Romanæ devotos, Nuntium Apoſtolicum inprimis, cui facinus viſum eſt immane. Inſtiterat in aula

Regis

Regis plus ſemel querelis ſuis, maxime, cum inſperſa ubivis quoque per Bibliothecam Pinii talia dogmata reperiret, quæ manifeſtum,ut putabat,oculis catholicorum animisque offendiculum pariant.Fruſtra vero inſtitit aliquandiu, donec tandem repertus eſt Pariſiis cauſæ patronus, qui potentia & auctoritate ſatis valeret ad deprimendos Du-Pinii ſpiritus. Fuit iſte, qui tunc unus in aula Ludovici M. plurimum poterat inter Præſules infulatos, *Jacobus Benignus Boſſuetus*. Hunc alias Pinio faventem, ut credebatur, offenderat noſter per emiſſum in vulgus Latino ſermone *librum Pſalterii cum verſione nova* ad latus vulgatæ, ſcholiisque brevibus, eo ipſo tempore, 1691. quo Boſſuetus eundem emiſit cum notis ſuis librum: enimvero non patiens æmuli, cujus partum ex hoc etiam labore nomen inter ſuos, ægre adſpiciebat. Dictu mirum, quam ardua lis mox mota Pinio. Conqueſtus primum de *Bibliotheca* ejus in actu ſolenni Boſſuetus invectiva haud mediocri, ſtatim ad Archiepiſcopum Pariſienſem librum defert, ut hæreticis faventem; autorem, ut ſemi-hæreticum. Rapta huc elogia Proteſtantium, queis paſſim Pinius ob candorem condecoratur, ſed eo

plus premebatur Parisiis. Tracta in crimen tum capita, quæ paullo ante commemoravimus à Petit-Didierio impugnata; tum quæ ad Nestorianam hæresin elevandam dicere Tomo IV. repertus est, iniquiora in Concilium Ephesinum, & contra Cyrillum Alexandrinū aspera. Amplius de imaginum cultu quod nimis frigide, ut re indifferenti, scripsisset: Denique vitio summe datum, quod è scriptis eruditorum Protestantium hausisset plurima in catholicæ fidei detrimentum. Nec minus acerbe conquestum de *Notis in Psalmos*, velut è Grotio ubique transscriptis & Socinismo aperte faventibus. Frustra tueri se conatus est à crimine Socinismi, edito libello apologetico *Defense des Notes des Psaumes*. Prævaluere inimici. Nec mora. Electi jussu Archi-Episcopi quatuor Doctores Sorbonæ, ad inquirendum. Ad ipsumCorpus misso memoriali libelloPinius reus hæresis agebatur. Inde post aliquot menses, magna severitate, cum urgeret Meldensis Episcopus, extorta primum est *Declaratio*, seu potius *Retractatio* abs Du-Pinio, qua plurima Bibliothecæ Eccl. suæ loca revocat pudendum in modum: (cedens necessitati) aut explicat, etiam obtorto collo, ad placita censorum. Deinceps publicata Archi-

chi-Episcopi Parisiensis Censura, quæ totam Pinii *Bibliothecam* nigerrima nota premit, ut periculis, offendiculis, falsitatibus &c. plenissimam, hæresique faventem; atque adeo plane proscribit. Possunt hæc plenius hauriri, cui lubet, non ex ipso Du-Pinio, qui ea silet, sed ex Ephemeridibus Basnagii. (*Histoire des Ouvrages des Sçavans l' An.* 1692. & 1693.) Hac igitur vi aut via effecit contra Du-Pinium Bossuetus, ut per triennium integrum non liceret viro eruditissimo telam pridem cœptam pertexere, & ad votum ardens suum novos dare orbi literato Bibliothecæ Ecclesiasticæ tomos. Quin & cum An. 1694. post placatum utcunque Bossuetum, resumto demum calamo rursus in publicum historia Seculi IX. prodiret, non aliter licuit, nisi mutata prorsus methodo, tituloque alio dato: *Historiæ Controversiarum rerumque Ecclesiasticarum.* Animum tamen autor eapropter non magnopere mutavit, Romanæ quidem Ecclesiæ, quam centrum unitatis credit juxta cum Pontificiis aliis, addictissimus, at non ita æquus Pontificiæ monarchiæ, quam aristocratia temperatam vellet: hinc jurium Ecclesiæ veteris & libertatum Gallicanarum apprime tenax: tum factorum, quæ isthuc pertinent se-

dulo ubique, & accurata recensione memor.

Dum in hoc studio desudat,& tomus tomum trudit, velut cuneus cuneum, non tamen ita se occupari vastum viri ingenium putabat,quin & aliud agere simul, ac scriptori quarti seculi præstantissimo, *Optato Milevitano*, nova & accurata facie emittendo in lucem, & perpoliendo, bonas impendere horas posset. Dedit illum ergo emendatissimum: præfixa historia Donatistarum, Geographia Africæ sacra, & annotationibus ornatissimum, tum & monumentis aliis antiquis, quæ ad rem Donatisticam faciunt in luce majori ponendam,egregie adauctum; Parisiis, A. 1700. neque exiguum operæ pretium ea re, judicio doctorum, tulit. Sibi vero nondum satisfecit, ni & ad novam Operum *Joannis Gersonis* editionem apparatum jam tum è libris Manuscriptis colligeret, sylvamque cæderet arduo labori, quem,ut infra dicetur, extra Gallias A. 1706. excudi curavit:domi interim novis litibus in causa Sorbonæ contra Jesuitas, & natis inde discriminibus maximis involutus, quæ nunc unde trahant originē, paulo altius repetam.

Dixi supra, magnificam esse Theologicæ Facultatis apud Parisienses de se suisque

que decretis opinionem, quæ ſane magna cum præſidentia eousque aſſurgit, ut Magiſtri Sorbonæ ſe poſt Romanam Sedem pene ſolos autoritatem haud dubie primam jure poſcere, pridem poſſeſſam, atque adeo ſuis cenſuris,ſi quas edunt,talem merito vindicare præſumant. Non idem aliis viris doctis animus hac de re. Reſtitit jam olim, & nimiam Scholæ præſumptionem repreſſit Deſiderius Eraſmus: coërcuit faſtum inanem è noſtris pridem Philippus Melanchton: convicit imperitiæ malignantis Robertus Stephanus: omnes iniqua paſſi: alios recentiores centenos, maxime Proteſtantium e cœtu ut omittam, nihil enim id ad rem præſentem. At enimvero illud non omittendum;Sorbonæ nunquam fuiſſe magis adverſos Proteſtantes ob veritatis Divinæ, quam ex præjudicatis oppinionibus illa damnat, ſanctum ſtudium, & juſtiſſimam defenſionem; quam ſunt jam fere à principio ſui ordinis Jeſuitæ,non ob aliud niſi nominis atque auctoritatis æmulationem. Hinc mille inter utroſque diſſidia, placita graviſſimis in articulis, fidem Eccleſiæ, diſciplinam, mores dirigentibus, è diametro adverſa, lites aſperæ, iræ implacabiles, immites cenſuræ, ac propemodum anathematiſmi ab una

parte: ab altera riſus, ſarcaſmi; vel querelæ non ſine bile & ſtomacho: delationes in aulis Regum, Paparum, in conſiliis Cardinalium & Epiſcoporum, ubi plurimum valent, urgentiſſimæ. Si qua forte pax coiit ad tempus, fida nunquam fuit, nec erit: animis velut jurato infenſis ſibi, finibusque nimium adverſis, dum illi vindicare nomen priſcum Scholæ adeo illuſtris, à Jeſuitarum temeraria innovatione quam notant; hi propemodum illud delere; certe quantum poſſunt imminuere ſatagunt: ac reddere miris modis invidioſum magiſtralem Sorbonæ faſtum. Hinc prælia ſubinde plus quam civilia, & ſcripta miris modis aculeata, quæ haud parum exulcerant animos, magisque abs ſe invicem divellunt.

Plane idipſum accidit quoque Du-Pinio cum Jeſuitis. Notæ ſunt horum viæ in convertendis ad fidem Chriſtianam Chinenſibus: ſi tamen converſio dici meret hominum vix dimidium de Chriſto, glorioſo; non item de Crucifixo, i. e. merito illius nobis per ſanguinem atque mortem pretioſiſſime parto, veritatē tenentium: tum idololatricis Confucii, aliorumque ſine fide defunctorum cultibus alte im̄erſorum; ſupina religionis chriſtianæ profeſſio, fidesque

non

non dum semiplena. Hanc dum fovent & propugnant Jesuitæ Galli studio ambitionis; eousque provecti sunt, ut & naturalem Chinensium literatorum theologiam, erroribus licet capitalibus conspurcatam & ab atheismo impio Naturalistarum minimo intervallo distantem, sanctam declarent & pene canonicam, certe Israeliticæ religioni æquiparandam. Excitata inde per delata nescio quorum gravamina scandalaque Parisiensium Facultas est, ad judicium de libris eam in rem editis à Societate, ferendum. Dedit ergo, lectis prius è suo corpore membris aliquot ad quæstionem totam de Religione Chinensium accurate examinandam, (quos inter haud postremus erat Du-Pinius) Facultas *Censuram* 1699. adversus religionem Sinensium acrem, Jesuitis oppido adversam. Vix prodierat, cum ab his vicissim Sorbonæ severitas, maxime autores Censuræ, atque adeo noster inprimis acriter novis libellis impeterentur. Ceterum is nihil territus, animosam scripsit contra Jesuitas *Censuræ Sorbonicæ Defensionem Defense de la Censure:* 1700. in qua fundamentis majori ubertate allatis, quã in brevi Censura fieri poterat, Corpori Facultatis omnem vindicat magno apparatu honorem; Societati

 contra

contra ob Evangelium apud Chinenſes adulteratum grandem dicam ſcribit.

Nec tulit impune,qui ab aliquo tempore jam ultra ſuperius memorata Janſeniſmi ſuſpectus, & cauſæ involutus Quesnellianæ delatores apud Pontificem Rom. Clem. XI. ut & in aula magni Lodovici paullo poſt Jeſuitas infenſiſſimos expertus eſt. Nimirum, ut in articulo de Gratia & Prædeſtinatione Sorbona Pariſienſis mentem S. Auguſtini ſequi ſe pridem palam gloriatur, (Thomæ videlicet de Aquino principiis innutrita) eamque veterum Pontificum Innocentii, Bonifacii, Celeſtini, Leonis &c. decretis valide communitam, tum & publica ſequentis ætatis velut lege receptam credit; ita ex quo nata eſt pugna Janſeniana, damnatæque, ut hæreticæ, ab Innocentio X. propoſitiones è libro Yprenſis Epiſcopi excerptæ, quas prius cum Antonio Arnaldo magna pars doctorum Sorbonæ ut orthodoxas defenderat; præſcripta porro theologis per omnem Galliam formula Alexandri VII. qua ſe à ſententia Janſenii abhorrere ſcripto teſtetur unusquisque, ſub pœna exilii: facilis eſt via Jeſuitis, Auguſtinianæ ſententiæ adverſiſſimis, ubi forte quem animadvertunt contra Pelagianos pro gratia valide,

laudata

laudata Augustini sententia, scribentem; contra Prædestinatainos languidius: illico eum Jansenismi reum postulant, ac propemodum hæreticis accensent. Aucta haud parum criminendi libertas, postquam Paschasius Quesnellus in notissimam litem tractus plurimis amicorum grande periculum invitus peperit. In hos itaque casses incidit Du-Pinius noster. Approbaverat data passim occasione Quesnellianas ad Novum Testamentum meditationes morales, tametsi nosset invisas Romæ, deprehensus etiam familiaris commercii per epistolas cum Quesnello: jam hoc grande nefas habitum: majus, quod in epistolarum una dudum A.1689. scripta deprehensum Janseniani dogmatis, ut *haud dubie Catholici atque orthodoxi* elogium (*je le reconnois être tres-Catholique & tres-orthodoxe.*) Maximum vero ac propemodum capitale crimen extitit *Cas de Conscience*, i. e. *Resolutio casus cujusdam conscientiæ* â doctoribus XL. Sorbonicis ad petitum parochi alicujus data, & festinatione infelici Parisiis apud Morellũ A.1702. in lucem emissa, quæ in causa Janseniana licentiam sequius opinandi de infallibilitate decisionum Pontificialium in quæstionibus facti, concedere haud verebatur, alia-

que

que Romæ pro ſubleſtis habita de Gratia & Prædeſtinatione, de amore DEI, de inſufficientia attritionis, de cultu Sanctorum, ac ſimilia, tueri. Du-Pinius magna pars fuerat doctorum quadraginta. At enimvero ſenſit ex hoc quos offenderit crabrones. Non jam amplius libris ſolum, quantumvis acribus ac acerbis, agendum cenſuit irritata ante alios vigilans adverſus hæreſes Societas. Ad regem & ad ſummum Pontificem Clementem XI. maximo curſu itum, ad quos factæ delationes de auſu Doctorum intolerando, de violata magni Regis auctoritate, de ſpreta Sacroſancta infallibilitate Sedis Romanæ, de periculo Eccleſiæ evidenti, tanto fervore, tanto etiam ſucceſſu, ut menſe Februario anni 1703. ſolenni ritu Pontifex Reſolutionē Caſus damnaret ut impiam: porro menſe eodem exeunte Noaillius Cardinalis eandem edito Edicto condemnaret & ipſe; nec multo poſt ſequeretur Regium edictum, quo increpiti graviter XL. Doctores ſcripto revocare ſententiam, & Archiepiſcopo Cardinali parere juſſi ſunt, ni velint omnibus exui beneficiis, & in exilium protinus abire. Paruere propemodum omnes, nempe tantum ad fulmen pavidi: Tres tamen in ſententia perſtitere conſtanti animo, &

excidere

excidere lautis etiam beneficiis omnibus maluere, quam inconstantiæ levioris convinci. Hos inter Du-Pinius, mox sine venia in exilium protrusus: Pontifice, qui inclementior jam antehac viro docto fuerat, Regem mirifice propterea datis 10. Aprilis literis collaudante. Juvat apponere verba quædam Clementis, ut intelligatur, quæ sors maneat, quis honos in Curia Romana viros cordatiores. Sic igitur mox post salutem Clemens ad Ludovicum.

Non sine maximo animi gaudio percepi- „
nus regium Majestatis tuæ zelum, nostris „
nuper paternis vocibus excitatum, cœpis- „
se in præcipuos deterrimi libelli appro- „
batores condignis pœnis animadvertere, „
Ludovicum Du-Pin, nequioris doctrinæ ho „
minem, temeratæque pluries Apostolicæ sedis „
dignitatis reum exulare jubendo. Qua „
de causa singulare tuum ac fervens stu- „
dium Ecclesiæ favendi, religiosamque „
Pontificiis monitis obtemperandi volun- „
tatem dignis commendare debemus lau- „
dibus, tibique & gratias agere, utque cœ- „
ptum egregie opus prosequi velis, vehe „
menter adhortari: Quandoquidem *non nisi* „
pœnarum severitate coërceri valent -- qui pu- „
blice in Ecclesiam, Ecclesiæque caput Rom. Pon- „

„ *tifi-*

„*tificem non uno nomine deliquere.* „ Fateor mihi hæc in *Causa Quesnelliana*, libro notissimo, abs Jesuitis 1704. Bruxellis edito, qui totam Clementis epistolam sedulo collaudat, legenti incidisse in mentem vocem veteris Tertulliani. *lib. De Pudic. c.* 1. *Audio etiam, edictum esse propositum, & quidem peremptorium : Pontifex scilicet Maximus, quod est Episcopus Episcoporum, edicit. - - O edictum, cui adscribi non poterit; Bonum factum !* An idem ipsum cogitarit, aut senserit Du-Pinius, equidem ignoro: ut & quo præcipue loco exul per annos aliquot habitarit. Ast quo minus dubitem, veteres illi animos mansisse erga Pontificem non nimium serviles, libri faciunt editi partim durante adhuc exilio, quod non ultra quadriennium durasse, rebus Regis id ita postulantibus, videtur : partim posthac, ut mox referam.

Ante vero, quam tempestas ista, modo â nobis commemorata ingrueret, publicaverat jam An. 1700. Du-Pinius Gallico sermone librum *de Doctrina Christiana*, quem & in *Methodo Theologiæ* plus semel in Catalogo Quæstionum allegat, mihi, ut fatear, visum nunquam : relatum vero ab autore ipso in operum reliquorum suorum

recen-

recensione. E qua & amplius disco, evulgasse virum doctissimum *Notas in Pentateuchum* breviores Latinas una cum textu sacro: duobus in 8. tomis. Durante exilio prodierunt Antwerpiæ (forte, quod Parisiis nemo inventus est bibliopolarum, eo quod omnes tunc horrebant recentem miseramque Morelli calamitatem, qui ob impressam *Casus* supra relatam, *Resolutionem* à Du-Pinio scriptam, omni jure typorum & officina tota una cum filiis ac posteris mulcta severissima pulsus fuit) *Opera Gersoniana*, quæ, ut refert ipse, ab amico anonymo pridem accurate recensita magno erutorum è Codicibus Manuscriptis dum adhuc esset Parisiis, opusculorum Gersonis antehac ineditorum apparatu auxit, tum exul, ut videtur, curis exquisitis totam editionem, additis etiam annotationibus eruditissimis, adornavit, A. 1706. Antwerpiæ impressam. Ceterum inprimis, præmissis operi *Gersonianis*, sive prolegomenis, noster eundem sese, qui prius fuerat, præstitit, auctoritatis Conciliorum supra Papam & Gallicanar. liberratū defensorem.

Accidit interim opportune pro Pinio inter Nuntium Pontificis, & Præsules aliquot Gallicanos de libertatibus Eccl. Gallicanæ & de infallibilitate Pontificis, quin & de Pote-

state

ſtate Eccleſiaſtica in univerſum, diſſidium & altercatio, eo quidem tempore, quo arctiſſima inter utrosque concordia regnare aliis videbatur, nimirum An. 1706. Res Regi viſa tanti, ut accuratius examinaretur, quippe qui ſerio nunquam ad eum diem adſueverat, nimium poſtulatis Romanæ Curiæ favere: potius Jurium Coronæ, Regumque Galliæ quæ ſtrenue vindicabat, & libertatis pro Eccleſia gentis ſuæ tenaciſſimus: niſi ad tempus aliquando arcana commodi majoris pacta obſtarent. Hinc reſuſcitata veluti è cineribus animoſarum Cleri Gallicani quatuor propoſitionum d. 19. Martii, 1682. editarum memoria, & quæſitus novus aliquis promachus inſignis. Electus ex omnibus, judicio Academiæ, noſter Du-Pinius fuit: qui & librum *de Poteſtate Eccleſiaſtica & Civili* (*Traité de la Puiſſance Eccleſiaſtique & Temporelle*) An. 1707. conſcripſit, approbante Sorbona, Rege conniventе emiſſum, qui non poteſt non pungere Curiam Romanam. Legant, qui ſummæ illius percipiendæ avidi ſunt, Acta eruditorum Lipſienſia Tom. IV. Supplementorum Sect. 4. aut, ſi malint, ipſam Du-Pinii recenſionem Tomo XIX. Bibliothecæ non inter ſuos quidem libros factam (nam latere malebat)

lebat) ſed appendicis loco p. 404. ſeqq. adjectam, & mirabuntur, quam prope ſemel iterumque Vir doctus principiis Proteſtantum, h. c. veritati accedat.

Credo vel deſiiſſe ab illo tempore Regis iram adverſus Du-Pinium, & exilii finem mox appetiſſe; vel certe non multo poſt. Quibus vero potiſſimum patronis reſtitutus fuerit dignitati priſtinæ, fateor me neſcire. Illud certo conſtat, cum per ſeptennium fere intermiſſus Bibliothecæ Eccleſiaſticæ Pinianæ labor ſuſpenſum orbem literatum, quorſum eſſet evaſura viri ſors? tenuiſſet; rurſus An. 1710. ſatisfactum eſſe votis cordatiorum, quippe quo in publicum prodiit tomus illius XV. qui hiſtoriam Concilii Tridentini, præter alia prolixam, ſollicitam, & quantum poterat à Gallico ſcriptore Romanæ fidei addicto expectari, ingenuam continet: idē refert hiſtoriam ordinis Jeſuitici, quomodo in Galliam intraverit, quas ſuſtinuerit contradictiones, quæ fata? aliquandiu aſperiora: deinde uti his omnibus ſuperatis pervicerit tandem, quæ volebat, unico ſolum obſtante: nimirum, quod ab Univerſitate Pariſienſi nunquam ullis petitionibus aut actionibus in Curia Parlamenti, nullis artibus, nullis

 patro-

patronorum, quantumvis maximorum, autoritatibus valuit obtinere, ut ad Facultatem Theologic. & Gradus in ea, multo minus ad dignitates Professorias Sodales admitterentur. Pertinax obstitit Academia, nunquam satis æqua, semper infensior Jesuitis: qui vero vicissim, contempta Universitate, Collegium Claromontanum (quod vocant) Parisiis erexere; Papali Regiaque autoritate fulti, quod haud minoribus privilegiis cluit, ac Sorbonicum aut Navarrense. Hinc fons inimicitiæ inter utrosque perennis, quam supra tetigi; hinc Scholæ Scholis adversæ: ac divisus bifariam prope omnis Galliæ clerus. Certe postremis hisce, quos viximus annis, eousque crevit dissensio, ut ab episcopis aliquot Societati Jesuitarum obnoxiis, per diœceses hic illic edicta fuerint promulgata, queis vetitum parentibus, ne filios Sorbonæ; traderent educandos erudiendosve, non aliter, ac si hæc pestifero quodam contagio infecta, nescio quid maligni adflaret suis discipulis. Quam injuriam atrocem ab universa Facultate judicatam, juxta cum aliis Pinius quoque, ut Relationes Sorbonæ, Parisiis vulgatæ, docent, acerrime accusavit, vindicarique debere monuit.

Hæ

Hæ ſunt lites fratrum ſub uno capite Rom. militantium inteſtinæ: ſic pugnatur. Quid mirum itaq;, ſi adverſus Proteſtantes, queis non aliud caput Chriſto magis adverſum videtur, Pinius in recenſenda ſaluberrimæ Reformationis hiſtoria, tum paſſim alibi iniquior & aſper apparet? nempe abreptus præjudiciis infidæ traditionis, quæ diſparem licet ac diſſimilem centies (ut vel ex ipſa viri doctiſſimi Bibliotheca Eccleſ. liquido demonſtrari poſſet) vultum Eccleſiæ ab antiqua nimium abludentis depingat; trahit tamen quo vult ſub ficto *Unitatis, Catholicitatis*, & *Succeſſionis Romano-Pontificiæ* nomine, dicam, an ſimulacro mentes in fidei rebus humanæ autoritati nimis devotas: quibus & Du-Pinium non poſſumus non adnumerare. Ut plane fallant, qui eum hæretica pravitate Proteſtantibus palpum ſubinde obtrudere in ſcriptis ſuis, impaligne criminantur: cum ipſa lectio doceat, nunquã nobis favere virum doctum, niſi ubi victus vi veritatis aliter non poterat; quod omnino ingenui candoris laudeque dignum eſt: ſemper tamen aliquid ſimul velut ſubleſtum admordere. Imo vero non inter minimos error is ejus eſt, quod in hiſtoria tum civili tum Eccleſiaſtica & literaria Germaniæ Proteſtantis nequaquam pro ex-

pectatione, quam gignit ipse de se, aut pro dignitate tanti scriptoris, ut decuerat, versatus apparet; sed subinde impingit fœdissime: sive contemtus nostræ gentis & fidei illud fecerit, Gallis tumidioribus frequens; sive supinitas è tot aliis occupationibus orta; sive denique raritas librorum nostratium, queis in Galliam usque penetrandi facultas à censoribus utplurimum asperioribus vix ulla datur, qua de re lectoris esto judicium. Certe in *Bibliothecæ Scriptorum à Romana Ecclesia Separatorum* (*Bibliotheque des Auteurs separez.*) tomo primo, qui post absolutam Ecclesiasticam prodiit An. 1718. lapsus sunt adeo frequentes, adeo insignes, nonnunquam & horridi, ut satius utique abstinuisset ab ejus editione nimium inter alias curas festinata vir doctus, famæ priori rectius ita consulturus. Certe diffisus ob manifestos defectus & errores venditioni libri bibliopola Batavus eam minime recudit, qui alias propere sub prælum vocaverat singulas Bibliothecæ Ecclesiasticæ partes.

Multo melius cessit labor viri in *Defensionem Siculæ Monarchiæ adversus Usurpationes Curiæ Romanæ,* (*Defense de la Monarchie de Sicile contre les Entreprises de la*

Cour

Cour de Rome) *Amstelodami*, An. 1716. ἀνονύμος equidem, sed relato mox ab aliis nomine, cum plausu cordatiorum omnium vulgatus. Nota pridem est quæstio de jure Regum Siculorum in rebus Ecclesiasticis inter suos summo; utrum ab Urbano II. Pont. Rom. An. 1097. obtinuerint talem potestatem, qualis alias est Legatorum Sedis Apostolicæ: imo vero monarchiam à curia Romana exemtam? Defenderunt eam acerrime inde à Ferdinando Catholico Reges Hispani omnes, Siciliæ Domini: contranitentibus licet in cassum Papis. Quibus ut gratum faceret Card. Baronius, impugnavit Siculam Monarchiam justo tractatu annalibus (*Tom. XI. ad An.* 1097.) inserto: quem vicissim in editione Annalium Baronianorum Antwerpiensi Plantinus, Regio mandato speciali, omittere coactus est; ne videlicet Philippus cedere Pontifici tanto Monarchiæ suæ jure videretur. Dilata inde vel dissimulata per tempus bene longum à Romana Curia contradictio, & per transactiones utcunque sopita: licuit que Regibus jura sua exercere quiete. Recruduit enim vero annis abhinc non ita multis, Regno in Sabaudum Principem tunc, uti novimus, delato. Tum enim ratus oppor-

tunum advenisse tempus Clemens XI. solenni edicto & sub gravissimæ excommunicationis pœna, Jura Siculi regni antiqua simul atque semel obrogare conatus est. Siculis interim cum Rege suo strenue sese defensantibus: quorum partes cum aula quoque tueretur Gallicana, eo minus mirum, à Du-Pinio tractatu non magno, sed eruditissimo animose non minus ac feliciter defensas esse.

Fertur idem etiam in describenda *Ludovici XIII. Regis Galliæ Historia* desudasse, esseque autor libri sub tit. *Histoire du Regne de Louis XIII. Roy de France*, Parisiis 1716. 8. editi: quod certo tamen affirmare non audeo. Certius sunt profecta ab illo monumenta duo alia. Historia Civilis (*Histoire Profane*) ab initio usque ad nostra tempora compendio non ineleganti in sex distributo tomos in 12. exposita. Antwerpiæ, 1717. vulgata. *Bibliotheca Historicorum veterum Græcorum & Latinorum profanorum*, quam æque vastam moliebatur, ut Ecclesiasticam non ultra primum progressa est tomum. Autor mox substitit, tot aliis nempe occupationibus distentus, nec satis par oneri. Utinam ejus loco revidere potuisset Ecclesiasticam Bibliothecam, & auctum

accurato

accurato ſtudio opus, Latino idiomate, quod affectum abs ſe affirmat plus ſemel ipſemet, exhibere: (Nam quos Latine verſos habemus tomos tres, interpretis Batavi alicujus ſunt, nequaquam Du-Pinii:) ceterorum facile obliviſceremur. At enimvero, quemadmodum Anglum eruditiſſimum Guilielmum Caveum deſtituit fortuna in nanciſcendo typographo ad recudendam novam, limatiſſimam curis tertiis, & pene conſummatam *Hiſtoriæ* ſuæ *Literariæ Scriptorum Eccleſiaſticorum* editionem: magno utique orbis literati damno: ita Du-Pinium noſtrum in molimine ſimili tempus & otium deſeruere. Non omittenda tamen mentio eſt auctior multis modis editio Diſſertationis præliminaris, olim tomo primo Bibliothecæ Eccleſiaſticæ præfixæ: quam ſub titulo Prolegomenων Biblicorum (*Prolegomenes ſur la Bible*) novum plane & juſtum opus edidit Pariſ. 1699. Amſtelodami 1701. recuſum. Poſſes vocare ſacrum apparatum, in quo quicquid eſt quæſtionum ad criticen ſobriam Sacræ Scripturæ pertinentium, de Auctoribus ſacris, de Canone Sacræ Scripturæ, de Apocryphis, de verſionibus, de vernacula lectione Bibliorum, &c. cum cura tractatur: tametſi

non pari ubivis ἀκριβείᾳ; attamen docte ubivis & eleganter.

Venio nunc ad postremos Du-Pinii annos, & certamina Facultatis ardua contra Constitutionem *Unigenitus*, quæ post mortem Ludovici XIV. Regis enata sunt, necdum hodie finita, & quorum quamdiu vixit, pars magna Pinius noster fuit. Accusatur utique ab inimicis animi parum constantis, quippe qui territus initio, ut apparet, Regia severitate, jugo collum submisit, tulitque indigna multa, velut probaret, & receptioni Bullæ, astutia Jesuitarum forte cum tot aliis captus, annuisse videbatur, mox totus alius. Sed cedebat nimirum tempori, quamdiu vixit Ludovicus Rex, supremis diebus suis gravis ultra modum Theolog. Facultati, prorsusque in potestate Clementis P. M. ac Tellerii Jesuitæ, Confessarii sui. Hic fultus auctoritate Romani Pontificis, & abusus credulitate ac devotione Ludovici extrema quæque machinabatur libertati Paris. acad. & prope jam agonizanti funus, inter plausus Sodalium suorum, parabat. Vix autem obierat monarcha, cum alia multo facies rerum subito enata, reddidit vitam Sorbonæ, animumq; contra Bullam Clemētis erigendi se, jam per vim atque minas abs Rege eousque intru-

intrusam, ut decretum de ea recipienda formaretur 5. Martii, 1714. (postea 1. Febr. 1716. rursus à Syndico erasum è libris publicis, ut fraude ac mendaciis furtim per cuniculos illatum) illique jam per veritatis ruinam triumphanti, pro necessitate periculi sese opponendi. Quam ad rem Pinius impigre juxta cum aliis opem operamq; omnem suam contulit, tum in deliberationibus publicis, tum in legationibus nomine Corporis integri ad Celsissimū DucēAurelianēsem, ut ex Actis patet: tum alia quacunque occasione, inprimis oratione quadam animosa & gravi; quo libertas à jugo curiæRom. maneret integra, dissiparentur machinæ Jesuitarum, os obturetur membris in Sorbona parum fidis, potius Molinistis, & inimicæ Societati obnoxiis; quos ali abs se invita suo in sinu queritur Facultas: Quin & apparent Episcopi nonnulli Sorbonæ infensi, & edictis iniquioribus molesti publice ab eadem notati: edita 3. Mart. 1716. Conclus. *S. Facultas statuit, ut de sparso rumore circa quorundam Episcoporum Mandata, quibus interdicerent suis diœcesanis studia Theologica in Facultate Parisiensi, quam diligentissime inquiratur.* Denique, ut subscriberetur celebri illi quatuor Episcoporum à Romano Pontifice ad Concilium Ap-

 pellationi,

pellationi, eique Facultas adhærereit, suasor fuit haud inter postremos Du-Pinius. Superfuit idem, cum post Brevia Clementis XI. duo, ultimis duobus mensibus An. 1716. data, atrocibus in Facultatem Parisiensem injuriis, & acerbissimis contumeliis plena (quippe cui Theologi illi sunt *homines reprobi*, *inquieti*, *turbulenti*, *filii delirantes*, *desertores*, *prævaricatores*, *degeneres Facultatis alumni*, &c.) emisit intrepide ipsa denuo Facultas post adhæsionem appellationis quatuor Præsulum, novam Appellationem 5. Octobr. 1718. gravissimis verbis interpositam. Superfuit, inquam, Pinius adhuc & interfuit consultationibus his omnibus, atque appellationi haud cunctanter suo suffragio accessit: multa simul cum Jesuitis digladians: simul etiam libris aliis, quos jam retulimus, incumbens. Queis accenseri debet adhuc posthumus labor, *tomus alter Bibliothecæ Auctorum ab Ecclesia Romana Separatorum*, è scriniis & schedis defuncti An. 1720. publicatus; sed quem erroribus numerosis, planeque fœdis scatentem dum edidit nescio quis Pinii amicus, id unum, dubito an è re & fama Pinii, novo docuit exemplo, magnos viros præfidentia sui magnis etiam nævis subinde implicari. Abstulit enimvero virum

rum celeberrimum ſuprema dies, aſſiduis laboribus immortuum, perennaturum tamen inter eruditos, è tot monumentis in lucem cum fructu orbis literati editis, ſexta Maji, anni 1719. cum nondum penitus adimpleſſet annum ætatis ſecundum & ſexageſimum.

Supereſt, ut de præſenti libro, qui Methodum Studii Theologici tradit, aliqua dicamus: Ille non heri demum aut nudius tertius à doctiſſimis viris commendari cœpit ob eruditionem atque elegantiam, nec minus modeſtiam inſignem: ſed & optarunt pridem è præcipuis aliqui palam, ut Latine verteretur; plurimorum uſui inſerviturus. Prodit ergo nunc Latine loquens: prodierat primo Pariſiis, An. 1716. Gallico ſermone, *Methode pour étudier la Theologie*: non adjecto autoris nomine; ſed quem eſſe absque dubio Du-Pinium non modo fama docet, è Pariſienſibus ephemeridibus; ſed & in hoc ipſo libro præfixus à bibliopola (ut mos apud ipſos frequens eſt) indiculus librorum in officina ſua proſtantium; qui dum Methodum Studii Theologici recens editam commemorat, nomen Pinii nil cunctatus adjecit. Ne quid nunc de dictione ſtyloque dicam, qui

auto-

autorem facile prodit; tametsi & hic liber ex iis est, quos in recensione suorum operum Du-Pinius juxta cum aliis non tangit. Causam cur latere voluerit, nunc non inquiro: quia divinatio est ambigua, nec multum interest nostri illam nosse. Liber enimvero dignissimus, qui plurium, ac inprimis studiosorum manibus teratur, eruditione refertus multifaria & ad studium Antiquitatis Ecclesiasticæ, tum notitiam Scriptorum omnis generis illuc pertinentium, ante alios prorsus egregie manuducens: nec minus cordate de fugiendis Scholasticæ Theologiæ tricis, & immodica cupidine litigandi, item de disputationibus publicis judicans, regulasque perscribens: ut & de usu & abusu Philosophiæ in rebus sacris; tum de studio politioris literaturæ, eloquentiæ, historiarum, chronologiæ, &c. in quantum prosunt futuro Theologo? præclare disserit: item, quam necessaria philologiæ, atque Criticæ peritia, Sacram Scripturam tractaturo, ostendit: cujus in fontibus lectionem, ac meditationem sedulam ut vir doctissimus unice commendat, ita libros ad ejus expositionem egregios è Protestantium non minus grege, quam Romano-Catholicorum sedulo memorat. Nec

minus

minus pulcre de formandis Concionibus Sacris, prorſusque graviter de officio Eccleſiaſtarum agit: longe aliter ac vulgus Pontificiorum: eapropter noſtris non ſine fructu legendus; præcipue, cum ſit modeſtus, etiam ubi contra nos agit: niſi quod *hæreticos* Proteſtantes, abreptus illaudabili more ſuorum (forte etiam metu ſuſpicionis iniquæ, ni adhiberet convitium) plus ſemel vocat.

Nam, ne putes fortaſſe, Lector, noſtratem tacite fuiſſe Du-Pinium, illud quoque monendus es, vitanda in hoc etiam libro varia apparere. Error primus, ac præcipuus, ut Eccleſiæ Romanæ, ita Pinii quoque; quod, dum principia Theologiæ, è quibus fons omnis ſcientiæ hauriri debeat, exponit, Traditionem Eccleſiæ pari auctoritate cum Scriptura ubivis agnoſci & principem obtinere locum vult: imo vero nullam dari Scripturæ interpretationem legitimam, contendit, niſi hauſtam è conſenſu Eccleſiæ, h. e. è Conciliorum, Patrum, atque doctorum veterum ſcriptis ac definitione. Nempe regulam fidei in Conciliis, atque in Patrum ſcriptis irrefragabilem dictari credit ipſe, & obtrudit ſuis: nunquam nobis obtrudet, qui Eccleſiam, & Concilia

Pa-

Patresque veneramur ſerio, ſed ut homines: DEO autem & Verbo illius æquiparari nunquam poſſe ſalva veritate, nec debere, certi ſumus. Porro nimiùs eſt Vir Doctus in auctoritate Scholæ Pariſienſis deprædicanda, circa Jus in fidei doctrinis ferendi, quod putat maximum; & cenſuras reſponſaq; pro oraculis venditat: p. 219. præfidentia familiari Doctoribus Sorbonicis, utut inani: quam B. D. Veielius, Antiſtes olim Eccleſiæ noſtræ nunquam mihi ſine multa honoris præfatione nominandus, in Natali Alexandro pridem notavit & profligavit. Mitto alia fidei Romano-Catholicæ placita, quæ ubivis etiam in iſthoc Du-Pinii libro occurrunt, facile agnoſcenda omnibus & vitanda.

Illud annotari meret adhuc, quod ab aliis reprehendi video: dum plurimus eſt in allegatione ſui ipſiusmet & librorum abs ſe editorum, & quidem ſubinde *inſtar omnium*, vir Celeberrimus: ambitionis propemodum inconſultæ, & amoris erga ſua intempeſtivioris reum agi poſſe. Non id dico, quod laudi eruditionis quidquam cupiam detractum; ſed quod adjectum optarem τὸ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Certe defectus hic alios quoque viros doctos noſtra

ætate

ætate fœdat, quorum laus propriis elata encomiis, & quidem immodicis aliquando, non poteſt non eſſe lectoribus verecundis faſtidioſa. Lectoris enim æqui eſt, judicare de nobis, ſcriptisque noſtris: quem offendet quisquis nimius eſt de ſe: velut ad Dictaturam, nullibi minus ferendam, præpoſtere adſpirans: eoque ipſo opinionem, quam conceperamus cetera præclaram, imminuens. Præterea enimvero viciſſim illud non omittendum: Nemini mirum videri debere, quod in indice quæſtionum, dum auctores, qui de ſingulis tractant materiis, allegantur, potior ſit ubique numerus Gallorum, qui hic regnant: Quid mirum enim, ſi Gallus auctor, qui ſuis primum civibus atque gentilibus ſcribebat, ad Gallicanos etiam ſcriptores Lectorem ut plurimum remittit? quos tamen haudquaquam è vulgo eruditorum coacervat, ſed lectiſſimos ac præcipuos affert, quod negare nemo poterit: exteris etiam frequenter adductis atque laudatis; Anglis, Batavis, Germanis, & quidem Proteſtantibus: ut è noſtratibus Dorſcheo, Calovio, Pfeiffero, Calixto, &c.

Ceterum

Ceterum haud parvus in tanta auctorum tum veterum omnis ævi, tum recentiorum, totque librorum copia labor fuit, quæ auctor Gallico more extulit, nomina titulosque, debito quæque modo transferre. Rogatus igitur à Clarissimo interprete, qui laudabili instituto librum utilissimum è Gallico Latine vertendum sumsit; & nunc Sacrum Ecclesiastæ munus Kaufbyræ cum laude gerit; id in me oneris suscepi, ut perlecto ante typos libro sicubi circa Patrum Ecclesiæ, aut scriptorum aliorum omnis generis, operumque allegatorum nomina emendandum aliquid viderem (quod sæpissime contigit) id facerem horis subsecivis. Promisi, feciq;, quod debui promisso diligenter: num ubique voto lectoris labor respondeat, judicet quisquis evolvet: modo id ne imputet mihi: si quid in excudendo peccatum viderit; quandoquidem curam typorum gerere integrum mihi non fuit. In *Indice quæstionum* ad historiam Ecclesiasticam pertinentium ad Secula IV. V. & VItum confusa reperi omnia, ut v.g. de Conc. Constantinopolitano, secundo œcumenico, quæstiones aliquot ad quintum seculum referrentur, de Leone multa ad quar-

quartum & ſextum; de Gregorio M. ad quintum: qui error undecunque ortus ſit (num à ſchedis Du-Pinii forte disjectis, an ab amanuenſis incuria?) tanti viſus omnino eſt, ut corrigeretur. Multo rectius itaque ſecundum ordinem ſeculorum repoſitas quæſtiones heic videbis, quam in Gallico ſunt. Si quem offendederit mentio Pelagianæ hæreſeos demum poſt Eutychianam Seculo V. p. 360. factæ, cum illa tamen præceſſerit, quippe in Epheſina Synodo ante ortam Eutychis hæreſin damnata: ſciat, ob quæſtionum Neſtorii Eutychisque cognationem in eodem argumento de Incarnatione Filii DEI, divulſas in indice illas non fuiſſe. Quod reliquum eſt, gratiam habe, Lector, doctiſſimo Interpreti, cujus labori Latinum idioma debes, fruereque libro iſthoc, qui tuo commodo prodit: tum vero rem Theologicam age plurimo cum ſucceſſu, aut promove largiter, DEO propitio ac benedicente! Vale.

Scrib. Ulmæ, d. 21. Februarii, An. 1722.

Lectori candido atq; Benevolo Interpres

S.

EAm nunc demum libri hujus tralationem oculis tuis perlustrandam exhibeo, de quâ sæpius hucusque, crebris locorum longè disjunctorum mutationibus impeditus, frustra cogitavi. Liber hicce, An. 1716. Parisiis sub hoc titulo prodiit: *Methode pour etudier la Theologie* &c. & quidem suppresso Auctoris nomine; cui tamen Celeberrimi Du-Pinii, Doctoris olim Sorbonici, qui An. 1719. die 6. Maji supremum diem obiit, nomen præfigi, sine cunctatione debuit: partim, quod ipsi in re litteraria versatissimi Viri laudatum modo

Du-

Du-Pinium genuinum operis hujus auctorem esse, palàm asserunt. Fecit hoc post celeberrimos Actorum Eruditorum Collectores Lipsienses eruditissimus maxumeque nclutus Dn. D. *Pfaffius*, Cancellarius Tubinigensis, in elegantissima de Præjudiciis Theologicis dissertatione priore, §. 9. Partim quod ipsa libri hujus inspectio, è stilo scribendique modo reliquis laudati Auctor. scriptis simillimo, tum rebus ipsis quas profert, tractatis facile nos convincit, non alius esse librum, quam Du-Pinii: At vero quid refert, tam sollicite in illius nomen inquirere, qui procul dubio tutius latere voluit anonymus. In vulgus enim notum est, scriptorem nostrum in multis nobiscum facere, & ob apertam veritatum quarundam professionem non ab omnibus Romanæ Ecclesiæ addictis eodem pretio atque loco haberi, imprimis apud Summum Pontificem male audivisse, cujus odium Jesuitæ pro more ipsi conflaverant, adeo ut in publicis litteris, quas *Breve* vocant, inobedientem eum Ecclesiæ filium nominaverit. Ut nihil nunc de remotione ejus ab officio, atque exilio dicam, cum casu quodam Jansenismi accusaretur, Jesuitarum hypothesibus antea admodum infensus, cum peculiari libro sequentes

theſes perfrictæ frontis Socii defenderent: *Papam ejusdem cum ipſo JEſu-Chriſto infallibilitatis eſſe, Papam non ſolum in quæſtionibus fidei, ſed facti quoque eſſe infallibilem:* quas, & alias hypotheſes principiis fidei & Reipublicæ ſecuritati contrarias ex ipſis cordatioribus Pontificiis Doctoribus imprimis *Petrus Nicolius* in ſcripto *de Hæreſi imaginaria* ſolidiſſime refutavit. Quamvis poſtea, ne ex gremio Eccleſiæ ſuæ tanquam *Hæreticus* ejiceretur penitus, palinodiam ex parte cecinerit; nullam tamen in ſcriptis ſuis occaſionem facile prætermiſit, quin veritati egregiis litaret victimis; id quod in noſtro quoque libro ſubinde fecit: e. g. commendavit Scripturæ Sacræ lectionem omnibus, tanquam ſumme neceſſariam; ab omnibus poſtulat Theologis ſolidiſſimam Ebraicæ atque Græcæ linguæ notitiam; plus vice ſimplici in craſſam plurium Monachorum ignorantiam graviter invehitur; ab inani illo ſterilique Scholaſticorum Theologorum, Philoſophiam juxta ac Theologiam tradendi modo cordate dehortatur; Proteſtantium quoque ſelectiora ſcripta allegat, atque ſæpius haud obſcure laudat, immo ſuæ Eccleſiæ innutritis interdum ſuaſor eſt, ut ſi ad ſupremum eruditionis Theologicæ

culmen

culmen eniti ſerio voluerint, Proteſtantium quoque melioris notæ ſcripta legiſſe ſedulo, neceſſe putent. En, candide Lector, hæc & permulta alia Romanæ Eccleſiæ placitis parum grata atque congrua; quæ prout ego arbitror in cauſa fuerunt, cur præclariſſimus Auctor nomen ſuum ſilentii peplo involverit, ne ſcilicet vulnus ipſi antea inflictum denuo recrudeſceret. Cæterum ut propius ad libri hujus dijudicationem accedamus, fatendum equidem eſt, permultos hactenus libros de Studio Theologico rectè inſtituendo publicæ luci expoſitos eſſe, quorum præcipuos *Jo. Gerſonem*, *Deſiderium Erasmum*, *Melchiorem Canum*, *Andr. Gerhardum Hyperium* & *P. Mabillonium* ipſe Clariſſimus Auctor in ſubſequenti ſua præfatione allegavit; & quod in eo magnopere prædicandum, nec Hyperio Religionis Pontificiæ deſertori debitæ laudis quidquam detraxit, ſed cumulavit potius, in Villavicentiam Hyperii turpem plagiarium fortiter detonando. Majorem autem hac de re ſcriptorum numerum apud *Thomam Crenium* offendes, qui copioſe eos undique conlegit. At nec multitudo horum librorum, utut in immenſum excreverit, dignitati libri hujus quidquam ſurripit,

quippe qui exquiſita rerum diligentia, nitida ſtili elegantia, concinna ſcribendi methodo, divitique eruditionis, imprimis hiſtoriæ litterariæ Theologicæ adparatu, ceteris omnibus palmam non ſolum dubiam reddit, ſed etiam præripit. Exinde facile colligere eſt, ſupra cum laude nominatum D. *Pfaffium* haud abs re, nec incaute optaſſe, ut aliquis librum hunc *ob ſummam elegantiam* (ſunt ipſius l. c. verba) in Linguam Latinam converteret. Noli autem putare, nihil in hoc libro jure deſiderari poſſe; paſſim obvia habebis, quæ criticum, vel ut veteres loquuntur, Grammaticum examen omnino ſuſtinere debeant, quæ nonniſi adſperſo ſale ſint recipienda, quæve negari prorſus rejicique veritas jubeat: atque ab his quidem eo certius, tibi cavebis, quo craſſiora ſunt, dudumque à noſtratibus Theologis ſolidiſſime refutata. Quis enim ex diſcipulis eſt, quem divinorum librorum in rebus ad ſalutem pertinentibus ſufficientia fugiat? ad ſolos hos, & nullibi ad traditiones humanas, diſertum DEI mandatum fert, ut in rebus fidei confugiamus, in eorumque placitis tanquam unicâ ſalutis noſtræ anchorâ placide adquieſcamus; ad hos, minime vero

vero ad traditiones referri poteſt, quod Paulus 1. Tim. I. v. 15. ait πάσης ἀποδοχῆς ἄξια omnibus modis digna eſſe verba illa, quæ recipiantur &c. Ex provectioribus vero quis eſt, cui ex Hiſtoria Eccleſiaſtica non ſatis innoteſcat, *Traditionis Idolum* ab auri ſacra fame, à credulitate, ignorantiæ filia, à fraudulentia, nec non à præjudicio obtentæ antiquitatis & auctoritatis exſtructum atque confirmatum eſſe? Quis denique eſt vel ex ipſis Romanenſium caſtris, qui argumentis validis & inconvictis (nugas enim & aniles fabulas, eodem jure, quo gratis aſſeruntur, rejicimus) comprobaverit hanc vel illam ſuperſtitioſam, ne quid durius dicam, traditionem apud Viros Apoſtolicos obtinuiſſe, certoque ab Apoſtolis ſine ullo additamento ad eorum poſteros illibatam proveniſſe? At vero, ne latius hunc in campum ex ſpatiemur, nonmodo brevitatis ſtudium, quod præfationi imprimis convenit, prohibet, ſed & ipſius auctoris noſtri candor ac modeſtia; quæ utinam aliis quoque adverſariorum ſimiliter cordi eſſet! ſic multa certè verborum litigia atque vehementiores contentionum æſtus dudum fuiſſent ſuffocati. Ad tranſlationem, quod attinet, meum non eſt,

vel qualicunque elogio eam efferre, vel abjectiore animo ac diffidenter de eadem ſentire; illud ſaltem absque jactantiæ crimine affirmare auſim, duo iſta extrema, in qua permulti interpretes incidere ſolent, qua fieri potuit diligentia me evitaſſe, nimirum quod ad idiotismos Gallicos atque Latinos animum ſemper attendens ex neutra parte majorem æquo libertatem mihi ſumſerim, ita ut nec affectata nimium latinitate à verbis auctoris longius diſcederem illiusque ſenſum aliorſum inflecterem, nec auctoris veſtigia ſerviliter nimium premendo germanæ latinitati vim inferrem, ejusque nativam formoſitatem inuſitatis, obſcuris, minusque Latinis verbis deformarem. Num ubique hæc adſecutus ſim, ſolidiori linguarum notitia inſtructi, per me libere judicabunt. Quod reliquum eſt, Lector candide atque benivole, vale iterumque vale.

M. Jo. Mart. Chriſtell.

Auctoris

Auctoris Præfatio.

EAs inter ſcientias Theologia eſt referenda, in quibus rite pertractandis capiendisque methodus atque regulæ magnam hucusque partem ſunt neglectæ. Priſcorum temporum Theologi ſuo ſe ſatis officio feciſſe putabant, quando Literas Sacras, Patrumque ante ſe vitâ functorum ſcripta, eâ qua par eſt reverentiâ evolverent. Recentiores ex eo tempore, quo Theologia Scholaſtica regnum occupavit, Philoſophiæ magis operam dabant, quam ut magnopere de mediis cogitarent inquirendi penitius in Antiquitates Eccleſiaſticas. Ultimis demum Seculis id cæptum eſt agi, ut Facultati huic in pejus indies magis ruenti, medicam pro virili manum viri docti adhiberent. Agmen cum nonnullis aliis

Jo. Gerson duxit, qui in suo Doctrinarum examine, & in quibusdam aliis scriptis principia velut prima dedit, quorum ope de rebus ad religionem spectantibus, sentire recte, curateque possis. Excepit hunc seculo decimo sexto *Desiderius Erasmus* qui, postquam succincte id argumentum, in præfatione edito à se Novo Testamento An. 1516. præmissa, exposuisset, peculiari deinceps libro *Alberto* Cardinali & Electori *Moguntino* dedicato, uberius pertractavit, quem inscribit; *Ratio, seu Methodus compendio perveniendi ad veram Theologiam.* Subjungitur *Paraclesis*, seu *Exhortatio ad Philosophiæ Christiane studium.* Duo hæc opuscula, etiamsi limatas in se regulas Theologiam bene addiscendi contineant, methodum tamen minus sufficientem exhibent, quam ut illius adjumento doctrinam Theologicam, librorumque huc spectantium apparatum plene addiscas. *Melchior Canus* multas & ipse regulas atque axiomata studio Theologico inseminentia Locis suis Theologicis inservit: verum omnium post *Erasmum* hâc de re optime scripsit *Andreas Gerhardus Hyperius*, Professor olim Marburgensis; hic anno salutis 1556. de Studio Theologico rectè instituendo librum edidit; hunc & alium aucto-

ris

ris hujus, de Concionandi modo tractatum *Laurentius* de *Villavicentia*, doctor Hispanus ex Augustini ordine ad verbum ferè exscripsit, resectis tantummodo illis partibus, quæ Romano-Catholicæ Ecclesiæ hypothesibus adversabantur, suoque nomine Antwerpiæ 1585. in lucem protrusit publicam. Equidem in eo Villavicentia, (prout ego arbitror) non peccavit, quod Hyperii opera castigata prelo subjecerit, scripta namque laudati auctoris, quamvis ad castra Lutheranorum Romanæ antè innutritus Religioni, transierit, soliditate ac modestia ubique radiant; in hoc tamen excusari Hispanus nequit, quod suo nomine ea emiserit, verique auctoris, cujus tamen vitulo aravit, ne verbo quidem meminerit; cujuscemodi factum nonnisi in perfrictæ frontis plagiarium cadit. At neque hicce *Hyperii* labor, etiamsi probæ notæ sit, lectori tantopere inserviet, ut adæquadam sibi de Theologiæ studio formam, methodumque suis numeris absolutam, viam hanc inoffenso pede decurrendi, formare & effingere exin possit. Celebris P. *Joannes Mabillonius* in suo de Studiis Monasticis libro de hac quoque re agens systema Universale Theologiæ operam navantibus proposuit.

Opus

Opus profecto, quod laudari ſatis, pretioque digno haberi nequit. Hujus ad exemplum filumque nos compoſuimus, ubi animum ad ſcribendum hunc haud magnæ molis librum adplicuimus. Ceterum in nullos nos prolixos anfractus immiſimus, quod nec ipſe doctus ille Monachus fecit; ad hæc addidimus eas inſtructiones & cogitata, de quibus, abſit jactantia verbo, certi ſperamus, fore, ut Theologiæ ſtudioſis ſua ſe utilitate commendent.

METHODUS
Studii Theologici rectè instituendi.

Caput I.

De Principiis, quibus vera Religio superstructa est: deque mediis, per quæ veritates ab illâ traditæ cognosci possunt.

THeologia non solum cognitione DEI, ejusque attributis absolvitur, sed etiam veritates illas, quas DEus nobis revelavit, pro objecto habet: fundatur autem revelatione divinâ, eâque infallibili, quia DEus nec fallere nec falli potest. Habet homo duo tantum cognoscendi veritatem media. Alterum est ipsa rei evidentia; Alterum auctoritas dicentis vel scribentis. Dantur in Theologia veritates, quæ per se & suâ naturâ sunt evidentes, e.g. existentia DEI, attributa divinitatis, parsque principiorum moralium maxi-

ma. Datur autem & alia veritatum ſpecies, de quibus nobis conceptum formare haud quaquam poſſumus, quæque ſolam auctoritatem, cui innituntur, habent, cui omnis intellectus noſtri potentia faſces ſubmittere cogitur. Priusquam vero huic nos auctoritati ſubjiciamus, neceſſe eſt, ut rationi noſtræ perſuaſiſſimum ſit, eſſe hanc auctoritatem infallibilem, utque extra dubitationis aleam ratio habeat poſitum, doctrinas illas ſive axiomata nobis tradita, auctoritati huic reverâ eſſe ſuperſtructa. Adeo hæc in veritatis luce eniteſcunt, ut quantâcunque ſanctitate JEſu Chriſti doctrina polleret, Ipſe tamen fateri nullus dubitaret, Judæos non teneri, fidem ut ſibi habeant, niſi teſtimonio Moſis, tum actionibus extraordinariis, indubitatisque miraculis ea eſſet confirmata. Jo. V. v. 31. 36. 39. 43. XV. v. 24. Eapropter duæ ſunt veritates, ejusdem certitudinis ac evidentiæ, veræ religioni fundamentum. Harum prima eſt, quod cum DEUS infinitæ ſit magnitudinis ac potentiæ, magnitudo Ejus atque potentia ad rationis noſtræ infirmæ trutinam non debeat dijudicari. Secunda, quod præter DEum nemo ſit, qui nec fallere vel falli ſciat, & quod per conſequens ille ſolus ſit, cui in rebus nobis incomprehenſibilibus plenam fidem habere debeamus. Theologia quidem naturalis per principia rationi noſtræ inſita, exiſtentiam unius, ſolius, atque veri DEI nos docet, eundemque eſſe omnipotentem, infinitum ſuis perfectionibus, cultumque ipſi deferendum præcipit. At vero Theologia ſupernaturalis ulterius progreditur, magnumque nos numerum edocet

cet veritatum, quæ naturam essentiæ divinæ concernunt, nec non cultum DEO præstandum, ad quas ascendere ratio sibi relicta minime potest. Theologia hæc, uti jam diximus, revelationi divinæ innititur; duoque hîc ad veritatis confirmationem necessario sunt adtendenda: Unum, ut de revelatione divinâ certi simus atque persuasi. Alterum, ut in eâ, quæ revelatio hæc in se continet, inquiramus sedulo. Omnis studii Theologici finis eo tendit, ut certa & secura quæramus media, quorum ductu persuadere nobis possimus, quænam sit religio revelatione divinâ vere fundata, & quænam sint illæ veritates certo revelatæ. Ut inquisitio hæc ex omni parte rite se habeat 1°. opera danda est, ut propius cognoscamus id, quod ratio nos de existentia, & de essentia Numinis, ut & de cultu ipsi debito docet: hæc cognitio ad rejiciendas falsas religiones nobis inserviet; & ad viam veræ religionis retegendæ. Certum enim est, omnes istas Religiones, quæ falsos nobis abjectosque de divinitate conceptus suggerunt, quæ cultum divinum iis rebus deferri volunt, quas verum DEum non esse novimus, quarum principia moralia sanæ rationi è diametro sunt contraria, omnes istas, inquam religiones manifestissimas falsitatis notas fronti inscriptas gerere, nullamque religionem pro verâ verè haberi posse, præter eam, quæ cultum veri DEI docet, & cujus Ethica cum æquitatis naturalis, justitiæque regulis ex asse congruit. Unicum hoc principium reliquas omnes religiones, Mahumedanam, Judaicam atque Christianam si exceperis, subvertit.

Offenduntur tamen etiam in Mahumedanâ ejusmodi doctrinæ morales, quæ falsitatem suam produnt: Igitur quæstio eò redit, ut examinemus, quænam de his tribus religionibus vera sit. Demonstratu res facilis est, Mahumedanam lubrico pede stare, nec majoris operis res erit, Judæis demonstrare, Messiam jam pridem venisse, eorumque inde religionem desiisse veram esse. Sola itaque religio Christiana vera est religio: sed infinitas propemodum Sectas apud Christianos reperire licet, quarum quæque diversas alit opiniones, quas omnes revelatione divinâ fundatas esse, contendunt acriter. Theologo vel imprimis incumbit examen, quænam ex his omnibus Sectis doctrinam Jesu Christi sequatur, & quæ sit doctrina ab ipso nobis tradita: In hoc enim omnes Christiani conveniunt, præter res à DEO in V. T. revelatas, omnem etiam illam JEsu Christi doctrinam infallibilis esse fidei. Commune hoc est principium, & ab illis pariter admittitur, qui Christum pro vero Deo habent, cum quibus & nos facimus, & ab istis, qui dicunt, hominem eum fuisse, electum tamen à DEO, eumque in finem missum. ut hominibus cœlestem veritatem traderet, quod Sociniani contendunt. Cuicunque enim sententiæ calculum addideris, nisi id, quod Christus docuit, veritati consentaneum esset, necessario sequeretur; DEum aut imposuisse nobis, aut ipsum fuisse deceptum, quod nullus mortalium, cui adhuc rationis mica super est, cogitare, ne dum dicere sustinebit.

Quam-

Quamvis autem omnes Christiani, in quâcunque demum Sectâ militent, sine ulla hæsitatione in eo consentiant principio; omne illud, quod hominibus à Jesu Christo fuit revelatum, indubitatâ prorsus fide recipiendum esse, de rebus tamen à Salvatore revelatis non omnes ejusdem sunt sententiæ: hinc tam discrepans Sectarum divortium eos inter, qui fidem in JEsum Christum publica religione profitentur, quique ad unum omnes ab Ejus auctoritate stare gaudent. Omnes illorum dissensiones inde oriuntur, quod quævis Secta doctrinam JEsu Christi sibi soli vindicat. Primum itaque Theologi munus est, veritatem hujus rei indagare, hancque ut feliciter eruat, dandæ sunt regulæ exquisitæ planeque certæ, quarum ope cognosci possit, quænam vera fuerit doctrina Christi.

Ante omnia supponendum illud est, tanquam principium certum atque immotum, quod DEus fallere homines omnino nequeat, aut veritatum loco falsa & erronea suis in revelationibus prodere. Evidens hoc est principium in ipso conceptu, quem de DEO per naturam habèmus fundatum, utpote qui secundum suam essentiam summe perfectus, & consequenter sum̃e sapiens est, sum̃eq; bonus. Positis his duobus in Deo attributis, fieri plane nequit, ut nos fallat: Nam ex eo, quod est summe sapiens, omnia scit, & falli nequit: dum summe atque infinite bonus, ne minima quidem fraudis aut deceptionis species in ipsum cadit. Equidem pro suâ sapientiâ veritates aliquas abscondere nobis potest, sed illud nobis præci-

pere non poteſt, ut falſa pro veris habeamus atque credamus. Hoc in principio omnium noſtrarum cognitionum, etiam naturalium certitudo ſita eſt: nam aliunde nobis non conſtat, nosmet ipſos iis in rebus, quæ nobis evidentiſſimæ videntur, & quas clare diſtinćteque in ſphæra naturali concipimus, non in fraudem induci, niſi exinde, quia fieri nullo modo poteſt, ut DEus naturale nobis lumen dederit, quod nos fallat, quodque pro veritate falſitatem nobis objiciat: quia cum bonus atque ſapiens ſit, non potuit eam in nobis efformaſſe naturam, quæ ſit ad decipiendum nos quaſi facta, in rebus, quas clare ut veras comprehendimus, & per id ipſum in eam nos neceſſitatem redegiſſe, ut non poſſimus non ſeduci aut decipi, nec unquam nimirum eo pertingere, quo verum â falſo diſtinguere valeamus. Hæc collectio reſpectu revelationis, quam DEUS nobis ipſe ſive immediate ſive mediate de nonnullis dedit veritatibus, multo adhuc validior eſt; alias neceſſe foret dicere, Illum Ipſum ſeductorem ac impoſtorem eſſe, cui volupe ſit, in errorum præcipitia nos conjicere.

Suppoſito hoc principio, nihil aliud reſtat, quam quæſtio facti, quando, per quem & quo modo DEus hominibus veritates religionis revelaverit, & unde certum ſit, has eum revelaſſe veritates? Si enim certo conſtat, uti diximus, chriſtianam religionem veram eſſe. i. e. JEſum Chriſtum veritatibus revelatis ad ſalutem homines imbuiſſe, illud quoque concedendum eſt, quod etiam Patriarchis atque Prophetis in V. T. revelationes

tiones contigerint. Sic omnes revelationes ad duo referri possunt tempora, uti S. Paulus ab initio suæ ad Ebræos Epistolæ testatur, dicens: *DEUS olim multivariam, multisque modis locutus Patribus per Prophetas: & in extremis his diebus locutus est nobis per Filium suum.* Revelationes prioris temporis quod concernit, diversis illæ occasionibus Patriarchis, Mosi, Prophetis factæ sunt, sive DEus visibili illis adparuerit specie, sive suam illis vocem aut ipse, aut per Angelos manifestaverit, sive illas intus inspiraverit. At revelatio posterior semel & unâ operâ, per unigenitum Filium suum facta fuit. Priores erant imperfectæ; multa ipsis deerant; nec nisi exiguo veritatum numero constabant: quippe harum pars magna Messiæ temporibus reservabatur. At posterior completa est atque perfecta, nihil ipsi deficit, nihil præter eam amplius in hoc mundo sperandum, ipsa est perfectio, ac revelationum finis. Sicut illa nihil hactenus habuit sui simile, ita ejusmodi nihil amplius habebit postea, & quidem durabit illa ad finem usque seculorum incorrupta. Omnia, quæ DEus ex antiquis illis revelationibus ad nostra usque tempora superesse voluit, & quæque hominibus ante JEsum Christum innotuere, comprehensa sunt in volumine Veteris Testamenti. Moses primus omnium scripsit ex ipsius DEI mandato non solum, quæ accepit, legis præcepta; sed etiam historiam creationis mundi, tum præcipuas revolutiones, quæ in Orbe terrarum inde ab illius ortu contigerant; ac præterea revelationes, quas DEus hominibus ante suam ætatem insinuavit, fideliter consignavit literis. Ab

Ab illo tempore homines à DEO inspirati succedentibus subinde seculis Judæorum divinitus ductorum, gubernatorumque historiam exposuerunt, & Prophetarum aliqui præcipuas maximeque insignes prophetias suás DEI jussu literis mandarunt. Scripta hæc enimvero, (quæ maximâ semper cura Judæi custodiverunt, easque tanquam divinas, sacras, Deique inspiratione conscriptas merito suspexerunt) illa ipsa sunt monumenta, in quibus revelationes, quas DEus Patribus nostris diversis occasionibus ac multivarie patefecit, præsto sunt. Contendunt insuper Judæi, præter legem istam, quam ipsis Moses scripto transmisit, aliam quoque oralem legem ab eodem traditam superesse, quam illi per traditionem conservarint, quæ magnam rerũ copiam in lege scriptâ non extantium condoceat. Verum ista nullo veritatis argumento jactantur, & è contrario pro re certissimâ haberi debet, ex omnibus istis revelationibus, quas Deus ante Jesum Christum hominibus diversimode dedit, nullas fide dignas esse, quibus certe inniti possimus, quam quæ Libris sacris V. T. sunt insertæ, unicumque ad hujus rei certitudinem medium esse librorum horum scrutinium atque meditationem.

Pergamus nunc ad revelationes, quas DEUS ultimis temporibus per ipsum suum Filium patefecit, inque modum inquiramus, quo illæ in mundo cognosci, & ad nos usque pervenire potuerint.

Eo tempore quo JEsus Christus visibilem adhuc in terrâ vitam ageret, doctrina ejus vel facillime cognosci atque dijudicari potuit: adire eum,

ejus-

ejusque verba percipere, hominibus abunde licebat Ille omnes docebat, interrogantibus libenter aures comodabat, quique animo discendi cupido eum conveniebant, responsionem ab Eo dulcem mellifluamque ferebant. Insidiatores suos, qui laqueos ipsi quæstionibus tendebant, palàm in ruborem conjecit. Quisquis igitur doctrinam Ejus cognoscere amabat, nonnisi cum eo conversari necesse habuit, neque ullo interprete alio præter Ipsum opus ei erat. Venit in mundum, ut illuminaret omnes homines, eosque veritatibus ad salutem eorum necessariis imbueret. Hunc in finem ultimos vitæ suæ annos ad id maxime insumsit, ut tum veritates has universæ Hominum turbæ prædicaret; tum eis, quos Apostolos & Discipulos sibi elegerat, easdem multo uberius clariusque exponeret nihilque eorum, quæ à Patre suo acceperat, quæque hominibus ad salutem scitu erant necessaria illos celaret. *Jam non*, dixit Apostolis, *vos dico servos, quia Servus nescit, quid faciat Dominus ipsius, vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ à Patre meo audivi, nota feci vobis* Jo. XV. v. 15. Et inferius Cap. XVII. v. 8. *Verba quæ dedisti mihi, tradidi eis.* Ita vero Apostoli ac Discipuli ab ore Christi edocti, testimonium quoque de doctrina ejus perhibere, eâque alios instruere poterant. Equidem quum nondum adhuc essent per Spiritum S. confirmati, nondum satis longo tempore cum JEsu transacto, nondum adhuc doctrina Ejus plane per omnia imbuti; falli forte adhuc, minusque idonei aliquando verborum Jesu Christi interpretes esse poterant. At enim

vero, ut doctrina JEſu Chriſti poſt mortem Ejus pleniſſime cognoſci, ſuâque ſemper puritate radiare poſſet; curæ Domino fuit, ante ſuos Diſcipulos dilligenter & accurate eam edocere, quam aſcenderet in cœlos. Et poſt aſcenſionem confirmavit eos, ac fecit illuminatiſſimos, immittendo eis Spiritum ſuum Sanctũ, qui veritatum illarum omnium, quas ſcire ad Religionem intererat, cognitione eos perfecit, ultimamque velut conſummatæ ſcientiæ lineam duxit. Omnis hæc Oeconomia ultimis Jeſu Chriſti ad ſuos Diſcipulos verbis adumbrata eſt: nempe, dum eis præcepit, ut per omnem terrarum orbem Evangelium prædicarent, ut docerent gentes, easque in nomine Patris, Filii & Spiritus S. baptizarent: firmiſſime adſeverans, miſſurum ſe illis propediem Spiritum S. à patre ſuo promiſſum, qui omnium illarum veritatum, quas ipſis effatus erat, memoriam præſentiſſime renovaturus ſit. Nec mora, poſtquam Jeſus Chriſtus aſcendiſſet in cœlos, Apoſtoli Spiritum S. ſpecie acceperunt viſibili, ac mox *ubique prædicarunt Evangelium, Domino cooperante* (ut S. Marci verbis utar Marc. XVI, 15.) *& ſermonem confirmante per ſigna ſubſequentia*: adeoque quicquid viderant, didicerantque, hominibus annunciabant. Uno verbo, quæcunque à Chriſto ipſis concredita atque mandata fuerant, ſtrenue ſunt executi: Et quemadmodum ipſis præceperat, omnes illas veritates, quas edocuerat eos, & quicquid ad ſalutem hominum neceſſarium, cum eis communicaverat, in vulgus prædicare; ſic extra dubium eſt, illos munus hoc adgreſſos, quo fideliſſime

functi

functi ſunt, nihil vel minutulum, quod Magiſter ipſis ad erudiendos homines revelarat, celaſſe omnino.

Supereſt, ut inquiramus, quo maxime modo dijudiare queamus, quænam ſint veritates illæ, quas Apoſtoli prædicarunt, & quomodo eâ de re certi eſſe poſſimus?

Primi fideles ſive ex Judæis eſſent, ſive ex Gentilibus præconio Apoſtolorum converſi, nullum aliud ad cognitionem Religionis perveniendi medium habebant, quam ut eos audirent, doctrinamque Magiſtri atque Domini eorundem humiliter ex illorum ore exciperent. Hoc reſpiciens S. Paulus Apoſtolus ait: *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum DEI.* Rom. X. 17. Quisquis igitur concionibus Apoſtolorum interfuerat, ex ipſo auditu illo immediate de noctrinâ, quam docebant, certus eſſe, deque veritate ejus, per miracula ab Apoſtolis ad doctrinæ confirmationem peracta convinci certusque omninò eſſe poterat. Ceterum Apoſtoli verbum DEI in maximâ Romanarum Provinciarum parte ipſimet prædicabant, in alias autem ſuos ad prædicandum mittebant diſcipulos. Porro, poſtquam prima Chriſtianiſmi fundamenta alicubi jecerant, Doctores atque Paſtores poſt ſe relinquebant, qui alios illis abſentibus docerent, atque gubernarent. Tunc & hi in regiones circumjacentes alios ablegabant, eosve in ſtationem ſuam promovebant. Sic Evangelium ubique per orbem brevi diſſeminatum, confirmatumq; fuit. Hoc modo multæ particulares Eccleſiæ, quæ doctrinam Jeſu Chriſti ubiq; terrarum receperunt, atque conſervarunt, fuerunt conſtitutæ. Hæc veterum

terum Ecclesiarum doctrina eadem prorsus erat sine ulla discrepantiâ, quæ fuit Domini nostri Jesu Christi & Apostolorum talisque habita, sicut reverâ quoque à Jesu Christo revelata fuit. Infallibile rei hujus argumentum est Testimonium omnium in Orbe Ecclesiarum, longè licet inter se dissitarum; quarum unanimis tamen consensus & conformitas doctrinarum, quas tradebant, invicte probant doctrinam hanc Apostolis & dehinc JEsu Christo originem debere. Ne autem traditio sola, ut fieri poterat, tractu temporis variata immutaretur, voluit DEus, ut Historia Jesu Christi ac præcipuæ Ejus instructiones, atque insigniora doctrinæ momenta per testes irrefragabiles mandarentur litteris; utque Apostoli, qui necesse habebant ad Ecclesias sive Fideles literas dare, præcipuas Religionis veritates scriptis transmitterent; & quamvis ipsorum testimonium in permagno pretio atque auctoritate haberi debuerit, nihil tamen minus suum eis ad ipsam scriptionem infudit Spiritum; ut infallibiles eos redderet, nulliquè hominum, de veritatibus, quas litteris ad posteros dederunt, dubitandi locus superesset. Permisit denique DEus, ut scripta hæc in publicum ederentur, & ab omnibus mundi Ecclesiis pro divinis haberentur, reciperenturque: adeo ut nunc sint ipsa monumenta autenthica, e quibus doctrina Jesu Christi & Apostolorum hauriri debet, utque earum veritatum, quas credere tenemur, testes sint perpetui, infallibilesque. Eundem nos honorem Judæorum libris deferimus, quos Jesus Christus Apostoli & antiqua, Ecclesia habuerunt pro libris sanctis, divinitus inspiratis, qui testantur

tur de Jesu Christo quique Illius doctrinæ sunt conformes. Ex utrisque Corpus Bibliorum sive Scripturæ S. systema est compositum, in quo sublimes illæ atque excellentissimæ veritates, quas DEus in V. T. per Mosen, Prophetas aliosque Scriptores Canonicos in Novo autem per Jesum Christum, Evangelistas & Apostolos mortalibus revelavit, consignatæ sunt. Neque est opus nisi ipso hoc Opere, quo sibi consulat, quisquis rite edoctus certusque esse cupit. Offendet inibi copiosissimum veritatum earum numerum, quæ adeo clare distincteque sunt expositæ, ut nullus eas in dubium vocare queat: Aliæ terminis ejusmodi sunt expresse, ut illis, qui bonâ fide agere volunt, æque ac priores claræ videantur. Dantur denique aliæ veritates, quæ per legitimam consequentiam eruendæ veniunt.

At vero, licet S. Scriptura præcipua doctrinæ Jesu Christi monumenta in se contineat, Traditio tamen eapropter nunquam cessavit, quo minus una existeret. Eadem Doctrina, quam Apostoli Ecclesiis tradiderunt, continuâ in Ecclesiis voce percrebuit: uniformes semper istæ in eâdem doctrinâ permanserunt: Patres suis liberis eam transmiserunt, atque ita per Seculorum seriem fuit conservata. Auctores Catholici, qui diversis locis atque temporibus de rebus ad Religionem spectantibus commentati sunt, indicarunt passim, hoc vel illud dogma conforme esse, vel adversari doctrinæ Apostolicæ, quam omnes fovent Ecclesiæ; Hinc veritates catholicæ ab erroribus oppositis distinctæ; hinc novitates istæ, quas Hæretici introducere tentabant, sunt rejectæ; huic Episcopi in Conciliis

ciliis congregati ad ſtabiliendam fidem, hæreſeſque proſcribendas innitebantur; & mediante hoc axiomate Doctores Catholici Eccleſiæ doctrinam defenderunt, erroresque ſuppreſſerunt.

Ex his principiis ſequitur, Theologiæ ſtudium in hoc conſiſtere: 1°. ut rationis nervum intendamus, quo cognoſcamus id, quod ea nos de divinitate, & cultu ipſi debito docet: 2°. ut religiones falſas, cognitis earum falſitatibus, rejiciamus: 3°. quantum in nobis eſt, veram Religionem per motiva credibilitatis, indubitato eam modo manifeſtantia, eruamus: 4°. cognitâ religionis chriſtianæ veritate, videndum eſt, in quo demum veritates revelatæ, quas illa nos edocet, conſiſtant. Hoc ut cognoſcamus, nonniſi duæ nobis viæ patent. Quarum prima eſt, ut Sacra Volumina, veritates illas continentia, nomineque S. Scripturæ venientia, legamus. Altera, ut Eccleſiarum traditionem audiamus, eamque ſedulo perveſtigemus in fide Eccleſiarum antiquiſſimarum, quam teſtantur Auctores coætanei fideque digni: porro in definitionibus Conciliorum generalium & particularium; demum in Patrum teſtimoniis. 5°. Philoſophia & imprimis dialectica ſuum quoque habere uſum poteſt ad concluſiones ex veritatibus, quæ principiis modo dictis innituntur, eruendas, explicandas, & adverſus errantes adhibendas. Cavendum tamen ſedulo, ne libertatem nobis ſumamus, quæſtiones, quæ veritates revelatas concernunt, ad ſolam rationis, humanæque Philoſophiæ luculam decidendi; aut etiam quæſtiones mere philoſophicas in Theologiam intrudendi.

Lin-

Linguarum notitia, Dialectica, Eloquentia, Philosophorum auctoritas, Historia, & quæ sunt alia profanarum Scientiarum genera, egregium Theologiæ studiosis subsidium ferre possunt; sed eorum usus sobrius ac modestus esse debet, id quod in sequentibus fusius sumus explicaturi.

CAPUT II.

Diversæ res Theologicas tranctandi methodi. Distinctio inter Theologiam positivam atque Scholasticam.

VEra hactenus explicavimus, confirmavimusque principia, quibus Religio Christiana innititur, quorumque cognitio præcipuum Theologiæ objectum conficit. Illa se referunt ad Scripturam S. & Traditionem, quod sanctum depositum servat Ecclesia. Sermo nobis in præsentiarum faciendus est de diversis methodis, secundum quas tractatio de Religione instituta subinde fuit: ut & de adminiculis, quæ peti possunt è facultatibus sive scientiis peregrinis e. g. è sana ratione, ex Philosophia, ex Eloquentia, è Scientia Linguarum, ex Historia, ex Jure Civili: denique de usu horum omnium in Theologia adhibendo.

Modus Religionem Christianam, ejusque Mysteria tradendi, non ejusdem semper formæ in Ecclesia fuit, sed aut pro diversitate temporis identidem

tidem immutatus, aut prouti necessitatis ratio postulabat, variæve hominum inclinationes ita ferrent. Apostoli simplicitate multa contenti sine ambagibus tradebant doctrinam, quam à JEsu Christo acceperant, fidelibusque tanquam objectum fidei ipsorum proponebant; fulcientes illam tum sua Auctoritate, tum testimoniis Prophetarum, item per JEsu Christi resurrectionem, & per miracula. In nullas se difficultates immergebant, quæ super fidei nostræ mysteriis poterant efformari: nullam admodum operam dabant, ut profunde mysteria rimarentur, fidei data, non rationi; aut omnes eorum consequentias detegerent, ne dicam, ut ad Philosophiæ, humanæque rationis principia explicarent. Similiter Sancti Patres & Auctores Ecclesiastici, qui primis Ecclesiæ Seculis vixerunt, nec in explicandis mysteriis nimium morabantur, nec Philosophiam in auxilium vocabant, nisi ut Paganorum errores, quos de suis Diis, Idolis atque Religione fovebant, discuterent, quia ipsis factu haud difficile fuit, per rationis dictamina Philosophorumque auctoritatem eos confutare. Ad convincendos Judæos, atque primos Hæreticos nonnisi sacrarum literarum auctoritate, traditione, & catholicâ omnium per orbem Ecclesiarum fide utebantur, inque suis cum eis disputationibus non occeperunt de mysteriis rationem dare, sed tantum probabant, ea credi oportere. Certum equidem est, Hæreses subsequenti ævo occasionem præbuisse, in credenda curatius inquirendi, certos præscribendi terminos, quibus ea enuncianda vel exprimenda forent, & ex articulis

for-

formaliter revelatis, quæ consequentiæ essent nectendæ, indicandi; At vero necessitate quâdam coacti viam hanc discussionis S. Patres inibant, sibique vehementer cavebant, ne vana levitate aut lubidine multas sibi easque novas de Mysteriis nostris quæstiones formarent, neque ad principia Philosophica discuterent. Imo vero, quemadmodum occasione demum Hæresium in dogmata commentabantur, sic nullum peculiarem tractatum theologicum de dogmatibus Religionis conficiebant, sed ea tunc demum persequebantur, cum occasio se refutandi quasdam novas hæreses obtulisset.

Origenes primus est, qui Theologiæ Systema quoddam in opere, cui titulum fecit: *περὶ ἀρχῶν*, seu *de Principiis* primus aggressus est. Sed conatus hic novus felici caruit successu; auctor enim hic genio suo nimium indulgens, dum doctrinam christianam principiis Philosophiæ Platonicæ accommodare satagit, pluribus sese irretivit erroribus, qui postea memoriam & existimationem nominis ejus deturparunt. Ceterum non idem esto judicium de iis, quibus sat fuit, instituto laudabili præcipua Religionis nostræ mysteria, in Symbolis extantia, catecheticâ simplicitate exponere, eademque S. Scripturæ locis fulcire atque firmare.

Subsequentibus Seculis immanes Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum aliorumque Hæreses Sanctos Patres ad Mysteria Trinitatis & Incarnationis Christi solidius & ex imo, quod ajunt, fundamento explicanda adigebant; Sacra tamen

Scriptura & Traditio unica ſemper principia fuerunt, quibus illi innisi, tumque demum ratiocinationibus uſi ſunt, cum ſenſus locorum vel Scripturæ vel Patrum erat eruendus. Iisdem ipſis armis ex Sacræ Scripturæ atque Patrum armamentario depromtis adverſus alios Hæreticos pugnatum fuit. Et ſane nullibi deprehendimus alia in ipſorum refutatione argumenta in medium allata, nec alias in Conciliis regulas ad damnandos eos fuiſſe adplicatas. Sed tamen ſenſim ſenſimque naturalis curioſitas homines inſtigavit, ut novas ſibi quæſtiones de Divinitate, de Myſteriis, aliisque Religionis capitibus diverſimode formarent; ab initio S. Scriptura & Traditio ſufficiebant, ſed poſteà in auxilium Philoſophia quoque vocari cœpit; imprimis Platonica, quæ tunc temporis maxime obtinens, & præ reliquis omnibus Philoſophorum Sectis Religioni conveniens viſa, in honorem hunc evehebatur. Auctor operum, quæ S. Dionyſio Areopagitæ tribuuntur, qui circa finem Seculi quinti ſcripſit, hanc ſecutus eſt methodum, inque libris de Nominibus divinis, atque Hierarchiâ diverſas quæſtiones theologicas ſecundum principia Platonica tractavit. Aliquanto poſt Boëtius vir in Philoſophia Ariſtotelica probe verſatus hac uſus eſt miniſtra in explicandis Myſteriis de Trinitate & Incarnatione Chriſti; quæ res illum in quæſtiones arduas admodumque ſubtiles implicuit. At primus S. Johannes Damaſcenus Theologiam velut in artis formam redegit, in opere *de orthodoxâ Fide* quæſtiones ſingulas capitaque methodice pertractare, conatus. Nono Seculo Jo. Scotus Erigenes

genes ad reſolvendas diverſas quæſtiones Theologicas methodum, principiaque Ariſtotelica adhibuit. Sed cum in varios eum errores iſtæ ſubtilitates præcipitarent, ab omnibus ævi ſui Theologis doctrina ejus atque methodus fuerunt rejectæ.

Neglectis autem decimo Seculo ſtudiis maxime neceſſariis & planioribus, non eſt quod miſeris, abſtruſis ſolummodo quæſtionibus illis ac difficilibus plerosque ſtudium adplicuiſſe. In medio tandem Seculi undecimi Philoſophia Ariſtotelica ad Arabum methodum in Scholis publicis doceri cœpit: quæ quidem ab initio uſum tantum in Philoſophiâ habuit; ſed homines principiis iſtis infecti paulo poſt eadem in Theologiam pedetentim intulerunt, iisque non ſolum ad enucleandas decidendasque quæſtiones Theologicas ordinarias, ſed etiam ad formandas magno numero novas, de quibus antea ne auditum quidem fuit, utebantur. Johannes Sophiſta, Roſcelinus, & S. Anſelmus inter primos erant, qui methodum hanc introduxere, & poſt eos Petrus Abælardus, Gilbertus Porretanus aliique complures vulgatiſſimam ac celebrem illam reddiderunt, lectionibus publicis ad eam rem inſtitutis. Otto Friſingenſis januam ei in Germania adaperuit; ſicque brevi temporis ſpatio in omnibus ferme locis ea ſedem ſibi ſtabilivit. Sicut autem per eſt difficile, evitare devia, ubi viam novam ingredimur, ita fieri haud potuit, quin priorum Auctorum quidam e.g. Roſcelinus, Abælardus, Gilbertus Porretanus & ab initio ſequentis Seculi Amaureus, aliique

plures qui in tractandâ Theologiâ methodo istâ gaudebant, in diversos raperentur errores, minimùm eo se modo explicarent, qui ab iis, qui sententiæ modisque loquendi Patrum inhærebant, rejectus fuit atque damnatus: Accedebat incommodum aliud; scilicet, Auctoribus his in diversas circa maximam quæstionum partem opiniones abeuntibus, spissæ contentionum disputationumque nubes in cœlo Theologico plus vice simplici obortæ: Atque ut quæstionum numerus in dies crescebat, & quisque ad defendendam opinionem suam subtilissima quævis ex Logicis & Metaphysicis Aristotelicis in medium proferebat; ita disputationes in infinitum penè multiplicabantur tantisque tenebris vitilitigationum atque tricarum involvebantur, ut vel à callentissimis artis hujus deploratissimæ magistris vix satis caperentur, à nemine autem solverentur prorsus: adhæc elumbis earum tractatio terminique barbari, qui utramque semper paginam faciebant, omnem rem mirum in modum deformabant.

Ad afferendum malo huic remedium commotus Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis farraginem collegit Sententiarum è Sanctis Patribus, imprimis Hilario, Ambrosio, Hieronymo, & S. Augustino ad præcipuas, quæ tunc temporis inter Scholasticos agitabantur, quæstiones: persuadens sibi fore, ut hoc modo eorum lites componerentur; talesque formarentur decisiones quæ ab auctoritate Patrum, quorum sententiis ac testimoniis innitebantur, venerationem adeptæ, unanimi consensu ab omnibus recipiantur. Collectio

lectio hæc inſcribitur : *Liber Sententiarum.* Communi tunc temporis titulo ſcriptis Theologorum ſolito præfixi ; ſed quem iſtud Lombardi opus præcipuum ante libros omnes alios tenuit reliquis etiam omnibus hâc de re ſcriptis antepoſitum, adeoque benevole ab eruditis exceptum, ut brevi tempore in Scholis publicis ſolus Lombardus prælegeretur, eapropter *Magiſter Sententiarum* κατ' ἐξοχὴν diceretur. At vero doctores ſcholaſtici ſimplicitati hujus libri non adquieſcentes, vaſtos in ejus textum commentarios edebant, quibus litium & contentionum cramben centies recoquebant, principiaque philoſophica nec non Ariſtotelis axiomata, quorum nullam Sententiarum Magiſter rationem habuerat, in Theologiam denuo intrudebant, proque eo, quod ejus methodum ſequerentur, motasque quæſtiones Patrum dictis ſolverent, nonniſi principiis Philoſophicis ac ſubtilitatibus metaphyſicis militabant. Hinc explicatio textus Libri Sententiarum minus putabatur ſufficiens, eligebantur tantummodo quæſtiones quædam, longèque aliter explicabantur, adeo ut illud, quod Commentarii nomine veniebat, non amplius Commentarii, ſed alius longe operis faciem indueret. Quas Sententiarum Magiſter propoſuerat quæſtiones, eæ per plures alias adaugebantur, easque illi vel Commentariis in Lombardum inſerebant, vel operibus ſeparatis tractabant, quæ ſæpius inſcribebantur *Quæſtiones Quodlibeticæ.* Theologorum quidam arctè nimis à Sententiarum Magiſtro includi ſe putantes latioremque evagandi campum quærentes methodo ejus renunciabant, longèque

aliam ſuis in operibus ſibi fingebant, ſub inſcriptione *Summæ Theologiæ;* dicti propterea *ipſi Summiſtæ.* Infinitas hi theologicas ac philoſophicas agitant quæſtiones, rationes ab utraque parte allatas in medium afferunt, easque utplurimum è rationibus aut ſuaſionibus philoſophicis decidebant, ſæpiſſime ad auctoritatem Ariſtotelis provocantes, interdum etiam ad Patrum auctoritatem, quorum ſententias ex Magiſtro ſententiarum, Gratiano vel Gloſſâ ordinariâ plerumque tamen infeliciter proferebant; ita ut eorum allegata ſæpe numero fallerent, quippe qui citationibus aliorum fidentes, non ipſa originalia conferebant, notitiâque Critices deſtituebantur.

Diſtinguuntur vulgo Scholaſtici in tres ætates; Prima incipit ab Abælardo ad Albertum uſque Magnum, S. Thomæ Præceptorem; Secunda ab Alberto ad Durandum uſque à S. Porciano qui A. 1333. mortuus eſt; & Tertia à Durando ad Gabrielem uſque Bielem An. 1495. demortuum. Celebriores Theologi prioris ætatis ſunt Petrus Lombardus, Robertus Pullus, Petrus Pictavienſis, Hugo de S. Victore, Raimundus de Penna forti, Guilielmus Pariſienſis. Hâc ætate Theologia Scholaſtica nondum in plenam artis formam redacta erat, nec ad methodum Averroiſtarum Philoſophia Ariſtotelica pro duce habebatur. Secunda ætate Albertus M. ex Fratrum Prædicantium ordine & Alexander ab Hales Ordinis Fratrum Minoritarum: poſt quos S. Thomas & Scotus duces & Capita extitere duarum Sectarum Scholaſticarum, qui Scholas omnes à ſe invicem diviſerunt

in

in partes. Cum enim duorum horum ordinum Religiosi Familiam in Academiis ducerent, & Theologiam majori assiduitatis nominisque famâ præ Secularibus profiterentur, qui posteriores Juri potius Civili, Canonicoque quàm Theologiæ Scholasticæ operam dabant. Illorum docendi modus opinionesque brevi tempore radices agebant ubique; hinc duæ Sectæ sive Factiones in Scholis exortæ; quarum una S. Thomam, altera Scotum sequebantur. Aderant tamen, qui tertiam insuper Sectam conflabant, quique Nominalium methodum renovantes cum Theologis Averroisticis sive Realibus de principatu certabant: Hujus agminis præcipua inter capita Guil. Occam fuit. Raimundus Lullius novam ratiocinandi methodum invenire voluit, sed illa adeo erat obscura, adeo extraordinaria densisque obsita difficultatibus, ut pauci eum sectarentur. Durandus à Sanito Prociano Episcopus Meldensis primus erat eclecticus, qui in nullius principia jurans nunc ab his, nunc ab illis, quod ipsi ad rem videbatur, suum faciebat, novarumque sententiarum numerum gnaviter adaugebat. Post eum majorem sibi libertatem Theologi sumebant, sibique peculiaria efformabant Systemata.

Seculo decimo quinto Theologia principiis Scripturæ S. atque Traditione fundata, denuo reduci colique cœpit per Theologos quosdam doctrina præstantes, qui tempus & operam quæstionibus utilibus tum in doctrinali, tum in morali theologia laudabiliter insumebant, easque modo perspicuo solido, spinarumque Methaphysicarum

perte enodabant. Præiverunt hanc viam aliis Petrus ab Alliaco, Jo. Gerson & Nicol. de Clemangis, qui barbariem & obscuritatem in Summistis ordinariisque Commentariis theologicis antea regnantem ex scriptis suis exterminarunt, missisque quæstionibus mere Scholasticis, variis de argumentis, quæ doctrinam, aut mores, aut disciplinam attinent, tractationem instituunt. Ita & in disputationibus, quas Ecclesia Latina cum Græcis, item contra Wiclefitas & Hussitas habuit, ad eos refutandos ad Scripturam & Traditionem recurrebant; id quod Polemicis, Patres Græcos & Latinos in fontibus suis evolvendi, ansam præbuit.

Seculo sequenti studium hoc occasione Controversiarum, quæ Romano-Catholicos inter & Protestantes intercedebant, melius etiam excolebatur. Lutheri & Calvini novitates Theologos Catholicos ad Literas Sacras & Traditionem Ecclesiæ confugere cogebant, ut inde antiquam defenderent doctrinam, illorumque errores refutarent. Ex iisdem fontibus doctrina Ethices Christianæ curatius tunc explicari cœpit, docerique; ac præstantissimi Theologi conclusiones suas ex duobus his principiis deducebant. Nullum tamen seculum Sol adspexit, in quo Scientia hæc ad eundem dignitatis perfectionisque gradum ac in nostro pervenit. Major nunc penetrandis genuinis Scripturæ sensibus opera impenditur, ingentesque Antiquitatis Ecclesiasticæ thesauros magis anxie perscrutamur. Magnus ab hoc tempore numerus Virorum eruditissimorum extitit, qui omnes quæstiones

nes controversas tractarunt theologicas, disciplinares, atque morales, methodo ac ratione utili, solida, innixa auctoritati S. Scripturæ, expositæ vero sensu Conciliorum decisionibus congruo, juxta fidem & usum Ecclesiæ universalis, & ad testimonia Sanctorum Ecclesiæ Patrum.

Solet plerumque distingui inter Theologiam *Positivam* & *Scholasticam*: sed nullus sibi persuadeat, distinctione hâc diversa objecta, principia atque fines indicari, unum ambæ objectum habent, cognitionem scilicet veritatum religionis à Deo hominibus revelatarum, ambæ de materiis iisdem agunt, doctrinâ videlicet nostrorum Mysteriorum, de disciplinâ Ecclesiasticâ, deque Theologiâ morali. Utraque S. Scripturam & Traditionem pro fundamento habere debet; hæc & illa earum veritatibus inniti, doctrinam à Christo traditam in integritate suâ conservare, contrarios errores rejicere, paucis, ad vitam homines æternam perducere debent. Neutra harum quæstionibus inhærere tenetur peregrinis atque inutilibus, quæ nihil ad doctrinam aut ædificationem fidelibus prosunt. Nec differentia Theologiæ Positivæ atque Scholasticæ in hoc consistit, quod hæc sua proponat per modum dialecticum & argumenta formalia, cum nec ipse Petrus Lombardus dux Scholasticorum hâc viâ incesserit, utpote cujus libri nonnisi farraginem locorum Scripturæ Sacræ atque Patrum ad quæstiones materiasque theologicas continent: cumque plures Scholastici methodum hanc missam fecerint, & quæstiones fusius atque etiam ornatius exposuerint; ut adeo adcurate

loquendo nulla ſit differentia inter Theologiam Scholaſticam atque Poſitivæ partem illam, quæ Myſteria, capitaque religionis noſtræ dogmatice tradit. Quapropter & opera tum dogmatica, tum polemica, in quibus veritates catholicæ explicatæ ſunt ac defenſæ, erroresque Hæreticorum refutati; ſive illa ſint ab antiquis Patribus, ſive à modernis theologis edita, perinde tractatus Theologiæ Poſitivæ & Scholaſticæ vocari queunt: Differentia, quam inter hanc & illam admittere poſſumus, in eo unice conſiſtit, quod Theologi Scholaſtici in unum corpus, certumque ordinem omnes illas quæſtiones doctrinam concernentes redigunt atque componunt, cum contra veteres Religionis dogmata tunc demum traderent, ubi maxime opus erat fideles in antiquæ doctrinæ fide confirmari, obortos errores refutari, argumentisque hæreticorum reſponderi.

Theologi moderni diverſas Theologiæ partes, quas veteres ſeparatim & per occaſionem tractaverant, in unum ſcientiarum ſyſtema ſeu corpus redegerunt; & in hoc Theologia Scholaſtica proprie ſic dicta conſiſtit, quæ non ita cum Luthero eſt definienda: quod diſciplina ſit *mixtione quadam ex divinis eloquiis & philoſophicis rationibus tanquam ex Centaurorum genere biformis conflata*; ſed cum Facultate Theologica Pariſienſi rectius illam hunc in modum deſcribas: *Scholaſtica Theologia eſt divinarum ſcripturarum peritia, recepto quem Eccleſia adprobat ſenſu non ſpretis orthodoxorum Doctorum interpretationibus & cenſuris, interdum aliarum diſciplinarum non contemto ſuffragio.*

Juxta

Juxta hanc definitionem Theologia Scholastica ejusdem est antiquitatis atque ipsa Ecclesia. Omni namque tempore S. Scripturæ studio christiani operam navarunt, ut exinde doctrinam christianam haurirent, interpretati sunt eam ad Ecclesiæ sensum, suorumque Patrum traditionem, non interim adminicula scientiarum profanarum negligentes, ut quavis occasione data veritatem adversus hæreticos illustrarent, defenderentque.

Testimonium hujus rei produnt irrefragabile tot opera polemica & dogmatica Sanctorum Ecclesiæ Patrum ab omnibus retro Seculis, in quibus diversa Ecclesiæ dogmata ab Hæreticis impugnata vindicarunt; Non enim contenti sunt, fidem Ecclesiæ simplici expositione proferre, locaque S. Scripturæ atq; Patrum, quibus illa fundata est, cumulare, sed in subsidium Logicam quoque & ratiocinationes vocant, ut locorum ab eis citatorum sensus confirmetur; ut contra, quæ ab adversariis allegata sunt, dextre explicentur, objectæ difficultates diluantur, principiorumque in S. Scriptura & Traditione extantium consequentiæ evolvantur, tum falsæ Hæreticorum consequentiæ erroris convincantur. Nihil denique eorum omnium prætermittunt, quæ conducere rati sunt ad cognitionem, illustrationem, atque defensionem veritatis; ut & ad nondum confictorum persuasionem & ad revocationem ab errore illorum, qui impliciti ab eo tenentur. Hunc ut scopum assequantur, principia rationis sanæ naturalis, Linguarum Scientiam, Eloquentiæ artem, Philosophorum Auctoritatem, Historiamque rerum gestarum adplicant; sed cum hæc omnia Christianæ doctri-

doctrinæ aut bene aut male adplicari possint, videndum nobis est, in quo rectus eorum usus consistat, & quomodo eis abuti possint homines.

CAPUT III.

De rationis naturalis, Linguarum, Dialecticæ, Eloquentiæ & Philosophorum auctoritatis, Historiæ, aliarumque scientiarum profanarum, in rebus ad Religionem spectantibus, usu & abusu.

QUod ante omnia rationis in mysteriis fidei usum concernit, noxia duo evitanda extrema sunt, in quæ Theologi posteriorum temporum inciderunt; eorum quidam rationem habebant pro regula universali, ad quam omnia dogmata, si de veritate aut falsitate eorum judicare velis, referenda sint, immo non verentur asserere, veritates alias non esse, quam quas ratio concipit, evidenterque cognoscit; è contrario rationis usum alii prorsus respuebant, eam non admittendam, ubi de mysteriis fidei agatur, affirmantes. Nos ab initio statim hujus libri contra priores evicimus, veritates in religione dari posse, quas intellectus hominis neque concipere neque comprehendere queat, quia viribus ejus certo fine terminoque præclusis facile fieri potest, immo & necessarium est, multas res supra captum ejus esse positas. Osten-

Oſtendimus inſuper, non poſſe hominem de veritate rerum à Deo revelatarum dubitare, ſi revelatio clara ſit atque certa: tametſi ea quæ revelantur non ſatis poſſit cum principiis rationis ſibi relictæ aliquando conciliare. Cum enim illud certo conſtet, DEum non poſſe falſum pro vero revelare; ubi ſemel evidens eſt, revelaſſe eum hanc vel illam rem, omnis dubitandi ratio ceſſat, & quas ratio formare difficultates fortè poterit, nullius ſunt ponderis, neque etiam adtendi debent. „ Divina fides deſtruit, ut Apoſtolus Paulus „ II. Cor. X. v.4. & 5. ait, omnes ratiocinationes „ humanas & omnem celſitudinem, quæ extollitur „ adverſus cognitionem DEI, & captivam ducit „ omnem cogitationem ad obediendum Chriſto. Quamvis autem ratione non ita utendum ſit, ut ea de veritate myſteriorum, ad credendum nobis propoſitorum judicet, eo tamen modo, quem ſupra indicavimus, in ſubſidium eſt adhibenda, ſcilicet ut illius ope judicemus, an auctoritas illius, qui revelat ſufficiens ſit, & certo conſtet, DEum hanc aut illam revelaſſe veritatem? Sic fides rationis uſum non excludit, ratioque tunc demum fidei cedit, quando convicta eſt, debere ſe ejusdem auctoritati ſubjicere, non obſtantibus quas de contrario habet conceptibus apparenter veris.

Ut rationis denique in rebus fidei uſus penitus explicetur, tria nos veritatis genera à Religione edoceri, notandum eſt; quædam veritates per naturalem intelligentiam patent & ex ratione probari poſſunt, e. g. exiſtentia DEI, adtributa ejus, maxi-

maximaque principiorum moralium pars: quædam ad rationis lumen cognoſci licet nequeant, minime tamen ei ſunt contrariæ, immo à ratione ſemel cognitæ pro ſumme poſſibilibus, probabilibusque habentur, e. g. eſſe Cœlum beatorum, impios orcum manere: &c. Quædam denique rationi non ſolum ſunt prorſus incognitæ, ſed ei inſuper è diametro videntur contrariæ immo impoſſibiles, e. g. myſteria Trinitatis, Incarnationis &c. Quod ad primas harum veritatum adtinet, ſine dubio permiſſum, utile, immo & neceſſarium eſt, ut ratio fidei ad eas firmiter tenendas jungatur: quod ad ſecundas, ratio neque de veritate, neque de falſitate earum judicat, ſed judicat tantum, quod ſumme ſint poſſibiles, veriſimilesque, cumque certa ſit, eas revelatas eſſe, facile eis conſenſum dat: ſed reſpectu tertiarum rationis unicum eſt officium, judicare, revelatæne ſint, an minus; ſique de veritate revelationis eſt convicta, fateri debet, hanc veritatem ſuum exſuperare captum, teneturque, ſe ſubjicere, tum vires omnes ſuas, quas habere ſe putat, auctoritati revelationis ceu ſacrificium offerre, tum omnes difficultates, quæ forte oboriuntur ſcrupuloſius rimanti, quasque ſolvere ipſa nuda neſcit, abjicere: inſervit tamen illa, uti diximus, ut veros S. Scripturæ ſenſus Patrumque Eccleſiæ mentem explicet, utque ex articulis fidei conſequentiæ deducantur, ſive ex duabus propoſitionibus revelatis, quarum connexionem videt, juſtam fecerit collectionem, etiamſi veritatem ipſam alias ipſa per ſe non comprehendat; ſive uni propoſitioni per revelationem cognitæ alia propoſitio

naturâ

naturâ nota adjungatur. Sic ubi hoc ſtruit argumentum:

Homo conſiſtit corpore & anima,
JEſus Chriſtus eſt homo, E.
JEſus Chriſtus conſiſtit corpore & animâ.

Major Propoſitio per ſe evidens eſt. Minoris veritas ex fide patet, & ratio majoris & minoris nexum comprehendit, concluſio autem ex præmiſſis legitime veritatem effatur. Quando igitur propoſitio è principiis rationis hauſta ita evidens eſt, ut nihil contineat præter explicationem unius è terminis propoſitionis revelatæ; & conſequentia eſt clara, immediata, cuique contradici non poſſit, ut in exemplo allato; tum concluſio eſt omnino de fide: at ubi propoſitio obſcura & incerta eſt, ubi conſequentia tam longè petita eſt, ut ratio decipere ſe tali caſu poſſit, tunc concluſio non eſt de fide. En uſum legitimum, quem ratio in Theologia præſtat. Abutimur autem ratione. 1°. Si nihil credere volumus, quam quod naturalis ratio evidenter concipit, & omne illud, quod intelligentiæ noſtræ non eſt conſentaneum, rejicimus. 2°. Si per rationem myſteria ſolâ revelatione cognita probare ſuſtinemus. 3°. Si ſubtiliter nimium de noſtris ratiocinamur myſteriis, eaque ſecundum principia philoſophica explicare conamur. 4°. Si temere multas tractamus aut formamus quæſtiones inutiles, à ſcopo alienas, neque inſtructioni neque ædificationi fidelium inſervientes. Vitia hæc damnantur à Sacra Scriptura, à Patribus Eccleſiæ & ab Auctoribus Eccleſiaſticis.

ſticis. Docent enim nos, DEum nobis ejusmodi revelaſſe myſteria, quæ humanæ rationi ſint incomprehenſibilia, quæ captum ejus longè ſuperent, quæ nec comprehendi, nec demonſtrari poſſint, quorumque nulla alia dari ratio poteſt, quam quod DEus ea revelaverit. JEſus Chriſtus, cum intrepidam Petri confeſſionem, qui eum *filium DEI viventis* nil cunctatus agnoſcebat, exornaſſet laudibus, mox addit, *nec carnem nec ſanguinem, ſed Patrem cæleſtem hoc ei revelaſſe*, Matth. XVI. v. 15. 16. hoc eſt, veritatem hanc, quam Petrus erat profeſſus, ejus eſſe conditionis, ut homines ſolâ ratione absque revelatione divina comprehendere eam nequaquam poſſint. Immo Salvator noſter Matth. Cap. XI. comm. 25. ait *veritates eas*, quas ipſe hominibus anunciavit *abſconditas eſſe ſapientibus & prudentibus, revelatas autem parvulis.*

Pari modo nec Apoſtoli, cum veritates has prædicarent, humanis eas ratiocinationibus comprobarunt, ſed è contrario confeſſi ſunt, doctrinam à ſe prædicatam non ab hominibus ſed à Deo ipſo ſe didiciſſe, incognitam eam eſſe ſapientibus hujus mundi; ſolum DEI ſpiritum omnium rerum etiam profunditatum divinarum ſcutatorem eam protuliſſe; ſpiritum hominis ea quidem cognoſcere, quæ hominis ſint, at neminem ea cognoſcere, quæ DEI ſint, niſi Spiritum Sanctum, prædicandam eam eſſe non perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed verbis Spiritus ac potentiæ divinæ, licet ſpiritui hominis ſtultitia ſit, atque incomprehenſibile quid, ab iis tamen, qui JEſum

Chri-

Chriſtum habent, ſpiritualiter eam dijudicari. 1. Cor. II. v. 10. ſqq. Admonuerunt laudati Apoſtoli fideles, caverent ne decipi ſe patiantur per philoſophiam & inanem fallaciam juxta traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non juxta Chriſtum Coloſſ. II. v. 8. Ne circumferantur doctrinis variis ac peregrinis, ne adtendant fabulis & Genealogiis nunquam finiendis, quæ diſputationes excitent magis quam ut ædificationem DEI, quæ eſt in fide, promoveant, ut quæſtiones ad rem haud facientes, inutilesque nec non rixarum origines fugiant. Hæc ſunt quæ Apoſtolus Paulus præclarè præcipit. Ebr. XIII. 9. 1. Tim. I. 3. 4.

Sancti Patres eâdem methodo in explicandis fidei myſteriis uſi ſunt, nullum ſibi negotium faceſſerunt ex ratione ea probandi, ſed revelationi tantum ſuperſtructa volebant, eaque propter fidenter è contrario aſſerebant, credenda ea eſſe, quamvis captui humanæ rationis repugnare videantur, neque adeo cauſam è ratione quærendam, ſed animo ſimplici credenda eſſe, quæ Deus tradit, inutiles autem quæſtiones vitandas.

Ceterum ea ipſa ratio, quæ oſtendit, cur ad probanda fidei myſteria non ſint in auxilium vocandæ humani cerebri ratiocinationes, ſimul & illud liquidum facit, quod nec per principia philoſophica explicare eadem fas ſit. Sed ut ſufficere debet Divina auctoritas ad fidem gignendam, ita & ſimplicitas fidei, quantum fieri poteſt, retineri debet, ipſaque myſteria eodem modo iisdemque terminis, quibus propoſita fuerunt, explicanda ſunt. Interim occaſiones aliquando obveniunt,

quibus cogimur, paululum exſpatiari, ut ſenſum terminorum verborumque, quem hæretici corrumpunt, determinemus, ſed non tamen veniendum ad explicationes iſtiusmodi, niſi ſumma urgente neceſſitate, & dum fit, non mediocris adhibenda eſt moderatio. Hoc ſuppoſito, quid quæſo judicandum de eis, quibus volupe eſt, de noſtris myſteriis infinitas quæſtiones fabricare, quæ nec informationi nec ædificationi fidelium inſerviunt, in quibus tamen illi Theologiæ arcem conſtituunt? In hos Auguſtini verba optime quadrant: *de Geneſi ad Literam lib. II. c. 9. n. 20.* ubi ille *Multi, inquit, multum diſputant de iis rebus, quas majore prudentia noſtri auctores omiſerunt, ad beatam vitam non profuturas diſcentibus: & ſic occupant, quod pejus eſt, multum pretioſa & rebus ſalubribus impendenda temporum ſpatia.* Nos quoque multos eorum novimus, qui non ſolum plures annos, ſed totam fermè vitam ſuam exercitio huic ſterili impendunt nullique alii unquam ſtudio incumbunt; qui eruditos ſe in tantum putant, quantum in ſubtilitatibus vanis exercitati ſunt, qui remotis hiſce quæſtionibus ignorantiam ſuam ubique produnt, imo reliquis omnibus prorſus ſcientiis nuncium mittunt. Has inter multivarias quæſtiones primum illæ locum occupant, quæ τὸ *quomodo* in noſtris urgent myſteriis, h. e. quommodo myſterium factum ſit, quommodo fieri poſſit? Patres omni tempore ejusmodi quæſtiones tanquam inutiles & temerarias rejecerunt. Objicies forte, Concilia quæſtionem *quomodo* non ſemel tamen moviſſe, e. g. Concilium Epheſinum & Chalcedonenſe

nense in controversia de unione Verbi Hypostatica cum Natura humana, eapropter ejusmodi quæstiones *quomodo* non esse in totum relegandas? Verum hic duæ in mysteriis τῦ *quomodo* species à se invicem discernendæ; una ipsam mysterii substantiam respicit, & nuda explicatio est; altera circumstantias & mysterii rationem internam spectat. Ecclesia priorem τῦ *quomodo* speciem determinat, de posteriori autem specie nihil pronunciavit. e. g. definivit Ecclesia, duarum in Christo Naturarum in una sola Persona unionem factam esse; ecce substantiam mysterii, hæc enim verba explicationem modo verborum Evangelii: *Verbum caro factum est*, continent, sed *quo modo* aut qua ratione hæc contigerint non determinavit; uti nec id ipsum sane omnes disputationes subtilissimorum licet ex modernis Theologorum hâc de quæstione prolatæ in luce ponere potuerunt.

Notandum insuper est, quæstiones τῦ *Quomodo* dari, quæ usum aliquem præbeant, & per principia Sacræ Scripturæ siveTraditionis decidi possint. Has nullo modo inter inutiles, atque ex sana Theologia exterminandas referimus, sed eas tantum rejicimus, quæ neque in Sacra Scriptura neque in Traditione, ut decidi possent, fundamentum habent; hasque ob id ipsum ne quidem sub nomine quæstionum theologicarum venire debere dicimus; huc omnes quæstiones de mera possibilitate pertinent; e. g. An Spiritus Sanctus à Filio non procederet, si non esset persona à Filio distincta? utrum JEsus Christus in mundum venisset, si Adam non peccasset? an DEum ob-

ſtricti eſſemus diligere, ſi, per impoſſibile, noſtrum ſummum bonum ipſe non eſſet? & quæ ſunt infinita alia: cui enim bono irrevocabile tempus ita perdunt? & ingenii ſui nervos in inquiſitionem earum rerum, quæ fieri prorſus nequeunt, operoſe intendunt, dum interim tam multa ſunt utiliſſima ad fidem aut mores facientia apprime, quæ ſupinâ ignorantia ſepulta jacent. Quæſtionibus his inutilibus magnam quoque earum quæſtionum turbam adnumero, quæ de rebus moventur neque per revelationem neque per rationem liquido probandis. En exemplum obſervatu dignum. Scriptura Sacra de Angelis nos non niſi pauca edocet, ratio multo etiam minus de illis deteget: nihiloque tamen minus Scholaſtici innumeras hâc de re formarunt quæſtiones; vaſta compoſita ſunt volumina, quæ nihil præter ingentem quæſtionum otioſarum molem continent, e. g. de principiis Angelos ſpecificantibus, de modo cognitionis Angelorum, de duratione, de πȣ͂, quod occupant, de motu eorundem, de operationibus, de modo, quo ſecum invicem loquantur aut conceptus ſuos communicent, de donis, quæ à DEO acceperunt, de ſerie & ſtatu, & quæ ſunt hujus generis alia, quæ nullibi niſi in eorum tantum perturbata imaginatione fundantur, qui de rebus ſibi plane incognitis formare tamen ideas uſque geſtiunt. Ad inutiles porro quæſtiones λογομαχίας quoque merito referas, quæ de nudis nominibus moventur, quæque facile ſolvi poſſent, ſi mens apertius explicaretur; de quibus interim tanto fervore diſputatur, ac ſi res agitarentur graviſſimæ,

quæ-

quæque ex meditullio theologiæ profluerent. Hâc de farina præliminares plerumque quæstiones sunt: An Theologia sit Scientia an Sapientia? an Sanctorum scientiæ sit subordinata nec ne? idque genus plurima alia. Ad quæstiones denique de Theologiâ exterminandas omnes refero alienas & philosophicas, ex dialectica vel metaphysica decerptas, quibus Theologia Scholastica referta est, quæque in aliquibus scholis ceu essentiales ac decumanæ ventilantur: quæstionum harum genera S. Apostolus reprobavit Colossenses admonens: *Videte ne quis sit, qui vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, juxta constitutionem hominum, juxta elementa mundi & non juxta Christum.* Coll. II. v. 8. itemque Titum suum: *Stultas quæstiones ac genealogias & contentiones & pugnas legales omitte, sunt enim inutiles & supervacaneæ.* Tit. III. v. 9. Spiritum hunc, veterumque doctrinam Gregorius IX. Papa secutus in Academiæ Parisiensis reformatione Theologos adhortatus est, ut scientiæ, cujus Professores sint, omnem dent „ operam; ne se Philosophos gerant, sed Theo- „ didacti esse curent, easque tantum in scholis „ proferant quæstiones, quæ ex Libris Theologicis „ Sanctorumque Patrum scriptis decidi possint.„

Abusus, quem Gregorius IX. reprehendit, eo tempore in Academiam Parisiensem irrepere cœpit, quo Abaëlardus docendi munere malè functus, & ob id à S. Bernhardo & Gualthero de S. Victore graviter castigatus erat. *Ab hoc tempore* „ dicit Trithemius *Philosophia secularis Theologiam* „ *sacram curiositate sua inutili fœdare cœpit.* „

 Ex-

Exinde malum hoc adeo non imminutum fuit, ut per singulos potiùs dies augmentum cœperit, id quod Stephanus Tornacensis vehementer questus est vide sis ejus Epist. 251. Immo malum hoc tam immodice crevit, ut Gersono teste (in Lect. ad Marcum) Theologi Parisienses, *sophistæ & verbosi, imo & fantastici appellarentur, quia relictis utilibus & intelligibilibus* (verba Gersonis sunt) *transferunt se ad nudam logicam, vel Metaphysicam, vel etiam Mathematicam, ubi & quando non oportet nunc de intensione formarum, nunc de divisione continui, nunc detegentes sophismata theologicis terminis obumbrata; nunc prioritates quasdam in Divinis &c. quæ, etsi vera essent atque solida, ut non sunt, ad subversionem tamen magis audientium vel irrisionem, quam rectam fidei ædificationem proficiunt.* Vitium hoc aliâs tota Academia Parisiensis in fine libri, quem in defensionem sui adversus Johannem de Montesono circa annum 1289. edidit, in S. Thoma reprehendit, cum enim errorum quorundam, in operibus S. Thomæ obvenientium, mentionem fecisset, insimul observat, nimium eum in principiis terminisque philosophicis, conclusionibus Theologicis adplicandis, operæ insumsisse, in quo malè fecerit, Theologi enim, (inquit illa, in tractatu adversus Jo. Montesonum) non ut Philosophi loqui debent, hoc & S. Augustinus in decimo de Civitate DEI libro cap. 23. innuit: *Liberis enim,* inquit, *verbis loquuntur philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosorum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia, etiam de rebus, quæ his significantur impiam gignat opinio-*

opinionem. Poſt tempus aliquod Nicolaus de Clemangis in Tractatu de inſtituendo Theologiæ ſtudio veſtigia Magiſtri ſui Gerſonis premens, de eo valde queſtus eſt, quod Theologi ſui temporis, Sacræ Scripturæ lectionem negligentes, omnes animi ſui nervos in veſtigandas quæſtiones ſubtiles & inanes intendant, & quod ſegnes ſint & languidi ad terminos Apoſtolorum uſurpandos in Logomachiis occupati. Deprehendimus, addit inſuper, maximam Scholaſticorum partem Sacræ Sciptúræ teſtimonium adeo flocci facere, ut argumentum ex Scriptura petitum tanquam elumbe atque ſimplex juxtà æſtiment, adeo ne humanæ phantaſiæ inventiones majoris ſunt ponderis?

Ceterum Theologi ab eo tempore cum Eccleſiam contra Proteſtantes defendendam ſumſiſſent, coacti fuerunt ad eorum errores confutandos uti Scriptura Sacra & Traditione, eumque tantum in finem Dialecticam atque Theologiam Scholaſticam adhibuerunt, ut argumenta ejus ope formarent duobus his principiis fundata. Nihilo tamen minus Scholæ ſemper magnum quæſtionum numerum retinuērunt, quæ magis erant Philoſophicæ, quam Theologicæ, id quod Proteſtantibus anſam dedit in Theologiam Scholaſticam acrius invehendi: quam viciſſim Theologi Catholici defenderunt, non adprobantes abuſum ejus, ſed modo indicantes Theologiam Scholaſticam verè ſic dictam in ejusmodi quæſtionibus non conſiſtere: Reſpondit hoc imprimis Luthero Pariſienſis Theologus Hieronymus Hangeſtus in ſuo adverſus hunc de Academiis libro: Non omnis, inquit, Theologia Scholaſtica con- »

 » vitiis

„ vitiis eapropter est lacessenda, quo Professorum „ nonnulli sophisticis eam quæstionibus deformant „ non omnis Schola Professoribus his assurgit, „ qui risui potius atque contemtui sese exposue„ runt. Idem Auctor Cap. II. ostendit, Theolo„ giam non eam esse, quam Lutherus definivit, „ *mixtionem quandam ex Divinis eloquiis & philo„ sophicis rationibus conflatam*; sed eam propriè „ Divinarum Scripturarum peritiam recepto quem „ Ecclesia approbat sensu, non spretis orthodoxo„ rum Doctorum explicationibus, haud neglecto „ interdum aliarum scientiarum suffragio.„ At suffragium hoc reliquarum scientiarum tantum accessorium Theologiæ haberi debet; & scientiæ illæ instrumenta solùm, ad illustrandas & defendendas veritates, quæ ex Sacra Scriptura & Traditione probari possunt, conducentia: nullam illæ propriam in Theologia partem conficiunt, nec quæstiones, quæ illas concernunt, ingredi hûc debent.

Academia Parisiensis in suis tradit commentariis Academicis, Parlamentum Parisiense, quum necessarium arbitraretur, ut abusus quorundam Theologorum tollerentur, qui neglecto, ut illa loquitur, Evangelio deserens Doctores Ecclesiæ, S. S. Cyprianum, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, Patresque ceteros, Theologiam in sophisticen immutarunt, tulit, anno 1530. legem, quâ cautum fuit, ut omnes scholæ Theologicæ sequantur methodum in Capite *Nonne* & in tota 37. distinctione, quæ à profanis studiis Ecclesiasticos arcet, præscriptam, atque in posterum

rum ii ſoli ad Facultatis Theologicæ gradum admitterentur, qui linguam Ebraicam & Græcam probe callerent vid. Clementinam V. de *Magiſtris* & caput *ut igitur*. (*)

En quibus verbis Melchior Canus, cujus nomen & eruditio ubique celebratur, in philoſophicas Scholaſticorum atque nauci quæſtiones invehitur, hanc ipſam tamen ſcientiam adprobans, Lib. VIII. c. 1. „In omni oratione, inquit, me- „mento lector, eam me defendere ſcholæ doctri- „

C 5 „nam,

(*) Non injucundum erit lectori, ut reor, loca ê Corpore Juris Canonici indicata paulo plenius noſſe. Sic igitur habet Decretum Gratiani P. 1. Diſtin. 37. c. 3. (ex Hieronymo.) *Nonne vobis videtur in vanitate ſenſus, & obſcuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in dialectica arte torquetur? qui Phyſicus perſcrutator oculos trans cœlum levat, & ultra profundum terrarum & abyſſi in quoddam inane demergitur?* &c. Rurſus c. 4. *Vino inebriantur, quando Scripturas Sacras male intelligunt, ſicera, quando ſeculari abutuntur ſapientia, & Dialecticorum tendiculis, quæ non tam vincula ſunt appellanda, quam phantasmata*; i. e. *umbræ quædam & imagines, quæ cito pereunt atque ſolvuntur*. In Clementinarum lib. V. tit. I. c. 1. ita Clemens Papa An. 1311. *Illius, cujus vicem in terris gerimus, imitantes exemplum, qui ituros per univerſum mundum ad evangeliſandum Apoſtolos in omni linguarum genere fore voluit eruditos, viris catholicis notitiam linguarum habentibus abundare ſanctam affectamus eccleſiam. Ut igitur peritia linguarum hujusmodi poſſit habiliter per inſtructionis gratiam obtineri, ſcholas - - providimus erigendas, ſtatuentes, ut in quolibet locorum* (Romæ, Bononiæ, Pariſiis, Salmanticæ, Oxonii) *teneantur viri Catholici ſufficientem habentes Hebraicæ, Arabicæ & Chaldeæ linguarum notitiam, &c.*

„ nam, quæ Sacrarum Literarum fundamentis con-
„ ſtituta ſit. Ex quo id efficitur, quod ego ma-
„ gno cum aſſenſu omnium dicere me video, mi-
„ ſeram eſſe Scholæ doctrinam, quæ ſe titulis ma-
„ giſterii defendat: miſeram etiam, atque haud
„ ſcio an multo magis, quæ detracta Scripturæ
„ Sacræ auctoritate ſyllogismis contortis de rebus
„ divinis philoſophatur. Immo ne de rebus divi-
„ nis, ſed nec de humanis, verum de rebus, quæ
„ nihil ad nos attinent. Intelligo autem fuiſſe in
„ ſchola quosdam Theologos adſcriptitios, qui
„ univerſas quæſtiones theologicas frivolis argu-
„ mentis abſolverint, & vanis invalidisque ra-
„ tiunculis magnum pondus rebus graviſſimis de-
„ trahentes, ediderint in Theologiam commenta-
„ ria, vix digna lucubratione anicularum. Et
„ cum his in Sacrorum Bibliorum teſtimonia rariſſi-
„ ma ſint, conciliorum mentio nulla, nihil ex anti-
„ tiquis ſanctis oleant, nihil ne ex gravi philoſo-
„ phia quidem, ſed fere puerilibus diſciplinis, ſcho-
„ laſtici tamen, ſi ſuperis placet, Theologi vocan-
„ tur, nec ſcholaſtici ſunt, nedum Theologi, qui
„ ſophismatum fæces in ſcholam inferentes, & ad
„ riſum viros doctos incitant, & delicatiores ad
„ contemtum. Quem vero intelligimus ſchola-
„ ſticum Theologum? aut hoc verbum, in quo
„ homine ponimus? Opinor in eo, qui de DEO
„ rebusque divinis aptè, prudenter, doctè è lite-
„ ris inſtitutisque ſacris ratiocinetur. Quod etſi
„ ita eſſe pluribus verbis poſtea diſſerendum eſt,
„ illud tamen nunc brevi confitendum eſt, niſi
„ qui is ſit, eſſe Theologum neminem. Intelligo
„ etiam

etiam in schola fuisse nonnullos, quasi ad discor- „
diam natos, qui tum optime disseruisse se putant, „
cum contra doctores dixerint, ut non tam ve- „
rum invenisse velle videantur, quam adversa- „
rios convincere, concertationibusque & rixis „
totas cartas implere. Atque hos, sunt in Eccle- „
sia multi, tanquam milites auctoritati vel tuen- „
tur, vel impugnant, & tota eorum de re theo- „
logica disputatio partium studium est contentio „
atque dissidium. Quos ego probare nec de- „
beo, nec possum. Nam quamvis dissentien- „
tium inter se repræhensiones non vituperandæ, „
concertationes tamen in disputando pertinaces „
indignæ philosophia prophana, nedum sacra „
doctrina mihi videri solent. Et in Lib. IX. c. 7. „
ab initio ita fatur: In hoc disciplinarum genere „
Theologiæ Professoribus & honesto & necessa- „
rio duo illa vitia maxime vitanda sunt, quæ Ci- „
cero commemoravit. Unum, ne incognita pro „
cognitis, incertaque pro certis habeamus. „
Qua in re etiam in Theologia multa peccatur. „
Ut illi, qui D. Thomæ, Scotique opiniones vel „
indiscussas amplectuntur, proque his non aliter „
pugnant ac pro aris & focis. - - Alterum est vi- „
tium, quod quidam nimis magnum studium „
multamque operam in res obscuras atque diffi- „
ciles conferunt, easque non necessarias. Quo „
in genere multos etiam è nostris peccare video „
ut eas quoque quæstiones latissime persequeren- „
tur, quibus Porphyrius abstinuit, homo im- „
pius, sed in hac re prudens tamen, ut Plato- „
nis, Aristotelisque discipulum agnoscere possis. „

„ Qui

„ Qui nec quicquam nisi opportunis & loco & „ tempore tractarent, nec quæstiones ullas persecuti sunt, quæ juvenum ingenia orbuerent, „ non juvarent. Nostri autem Theologi importunis vel locis, longe de his oratione differunt, „ quæ nec juvenes portare possunt, nec senes „ ferre. Quis enim ferre possit disputationes il- „ las de universalibus ; de nominum analogia, de „ primo cognito, de principio individuationis, sic „ enim inscribunt, de distinctione quantitatis à „ re quanta, de maximo & minimo, de infinito, „ de intentione, de remissione, de proportioni- „ bus & gradibus, deque aliis hujuscemodi sex- „ centis, quæ ego etiam, cum nec essem ingenio „ nimis tardo, nec his intelligendis parum tem- „ poris & diligentiæ adhibuissem, animo vel in- „ formare non poteram. Puderet me dicere, non „ intelligere si ipsi intelligerent, qui hæc tracta- „ runt.

Pessimorum autem fructuum horum culpa non in Philosophiam & dialecticam est conferenda, neque hinc occasio sumenda condemnandi eas, Theologoque prorsus interdicere. Negari profectò nequit omnium defectuum jure reprehensorum originem atque fontem hunc esse, exinde tamen non est colligendum ; quod Philosophia atque dialectica nullius plane usus in Theologia sint, quodque eas in totum rejicere debeamus : alterum hoc extremum esset, in quod ne incidas, cavendum tibi. De Philosophia enim non aliter judicandum ac de sana hominis ratione : quia Philosophia, proprie loquendo, nihil aliud est,

est, quam ratio exculta atque perfecta. Non laborandum est, ut Mysteria fidei, quæ rationem longè superant, per principia philosophica demum stabiliantur, esset hoc condemnandæ temeritatis vitium, uti supra jam ostendimus. Ceterum cum Philosophia, quæ naturalem cognitionem, ad quam de rebus divinis juxta atque humanis perveniri potest, complectitur, nihil aliud sit quam ipsa Theologia naturalis; extra dubium est, quod philosophia bona ad Religionem permultum prodesse queat.

Illa namque 1°. primis christianæ Religionis Apologetis inserviit ad demonstrandam Idolorum Deorumque à gentilibus adoratorum vanitatem: inserviit porro & ad huc inservit demonstrationi existentiæ & unitatis DEI contra Atheos: possunt luminis illius ope multa de natura DEI detegi: per principia ejus distinctio inter corpus & animam confirmatur: Sunt hæ veritates, quas etiam Religio docet ac supponit: quas magno hominum bono Philosophia quoque probare potest.

2°. Philosophiæ moralis principia sunt conformia præceptis Decalogi atque Evangelii. Vera enim sanaque philosophia eas docet virtutes morales, quas Religio perfectas proponit inque sublimiorem gradum evehit. Non parum hoc Religioni conducit, quod ratio adjutrices ipsi manus porrigit in edocendis nexibus debitisque, queis homines obligati tenentur.

3°. Philosophia suum confert ut certa terminis notio & significatio figatur, e. g. Essentiæ, Substantiæ, Spiritus Hypostasεως, Personæ, &c.

qui-

quibus terminis ad exprimenda nostra mysteria Ecclesiâ utitur. Utilis itaque est, ut de veritatibus, quas fides nostra pro objecto habet, ideas nobis etiamsi imperfectas subministret.

4°. Per Philosophiam judicare possumus de veritate propositionum ex ratione manifestarum; ita, ut v. g. ubi datur veritas theologica, quæ deducitur ex propositione una revelata, seu fidei; alterâ vero hausta ex lumine naturali; philosophia ad id inservit, ut propositionis utriusque veritas & agnoscatur & in liquidum justa firmaque conclusione per sanam rationem deducatur.

5°. Philosophia nobis ostendit combinationem & connexionem propositionum unius cum altera; methodum & ordinem in principiorum, conclusionum atque probationum dispositione tenendum, docet nos, definire, dividere, disputare, discursum formare: atque id ipsum est, quod vocamus artem dialecticam. Jam vero negari cum ratione nequit, artem hanc permagno illis esse commodo, quibus incumbit defensio veritatum christianarum, & objectionum ab infidelibus & hæreticis prolatarum refutatio. Nam sive agatur de vero sensu locorum Sacræ Scripturæ, Conciliorum, atque Patrum eruendo, & extra dubium irrefragabili collectione ponendo; sive laboretur in Hæreticorum sophisticationibus convellendis, eorumque propugnaculis perrumpendis, sive denique in doctrina Ecclesiæ dextre, definite, accurateque explicanda; certissimum profecto est & plane evidens, maximopere prodesse, si quis bonus sit Logicus, omniaque ad methodi limatæ ordinisque filum perficiat. Et si vel id unum cogita-

gitaveris, quam inprimis utile quamque gratum est, mentem suam clare distincteque explicare posse, quam exoptatum, desideratumque illis, qui ab ore & disciplina hujusmodi magistri pendent. Ratiocinationes, ait Augustinus in de doctr. christ. c. 37. n. 33. definitiones, atque divisiones discipulis absque dubio permultum prosunt: *Illa pars conclusionum & definitionum & distributionum plurimum intellectorem adjuvat.* Concedendum itaque cum eodem Patre lib. II. c. 31. n. 48. *disputationis disciplinam ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris Sacris sunt penetranda atque dissolvenda plurimum valere.* Sed illud quoque insimul fatendum, in abusum Philosophiam verti posse, hoc ne fiat, sollicite cavendum est.

1°. Ad Augustini modo laudati mentem evitandus est disputationis pruritus: *Tantum ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium.* Vitium hoc eis plerumque adhæret, qui in Philosophiam scholasticam totos sese immergunt; intellectus eorum subtilitatibus hisce sensim adsuescit, amat eas, occupatur in his unice, suaviterque acquiescit: hinc immensa ista rixandi libido oritur, & ostentatio vere puerilis, victrices semper laureas nectendi, suumque adversarium omnibus disputationibus vincendi, & ad silentium redigendi: hic scopus, hic finis est omnium fermè, de rebus quoque seriis disputationum, id quod non solum de Scholis, sed de ipsis celebratissimis auctoribus intrepidus pronuncio. Nullus vult cedere, nemo causâ cadere, & ne forte quis errorem suum fateri cogatur, confugiunt

ſugiunt ad ejusmodi ſubtilitates atque ratiocinationes omnibus incomprehenſibiles tanquam ad ſacram, quod ajunt, anchoram. Decipitur adverſarius, ſtruuntur ipſi inſidiæ, deducitur per devia & incognita, injiciuntur ipſi novi ſcrupuli, ut difficultatibus ſubinde aliis atque aliis implicitus, laſſusque tandem animo, & pugna defatigatus receptui canat, quo facto, ſilentium ejus pro fugâ reputatur, victum eum eſſe perſuadetur aliis, jactatusque palam victoria. En puerilem jactantiam ex Auguſtini voto ſollicite fugiendam.

Secundum vitium & abuſus hic eſt, quando ſoli Dialecticæ omnis induſtria, omnis opera inſumitur, præ illa vero Sacræ Scripturæ atque Traditionis ſtudium negligitur, & exercitatos demum ſe Theologos eſſe autumant, cum ſubtiles fuerint Logici. Etiam hunc errorem Auguſtinus damnat. Ne ſibi, inquit, perſuadeant, veritates ad ſalutem æternam hominem perducentes rectè eum comprehendere, qui modo argumentari, definire atque dividere ſcit: *tantum abſit error, quo videntur homines ſibi ipſam beatæ vitæ veritatem didiciſſe, cum iſta didicerint.* Dialectica non eſt Theologiæ principium, non eſt fons & origo, unde veritates theologicæ derivari debent, inſtrumentum tantum eſt, cujus uſus in eo conſiſtit unice, ut illius ope veritates revelatæ melius capiantur, illuſtrentur atque defendantur.

Tertius abuſus committitur, cum quæſtiones mere dialecticæ agitantur, quæ nullam cognationem vel connexionem cum religionis veritatibus habent. Abuſus hic quam damnabilis ſit jam oſtendimus.

Quar-

Quartus abusus in eo se prodit, quando methodo terminisque novæ dialecticæ superstiose nimis aliqui inhærent, resque theologicas locutione sterili ac spinosâ tractant, terminis barbaris & qui vix ac ne vix quidem intelligi ipsimet queunt: certum est, labem hanc plerisque Scholasticis Theologis esse familiarissimam, qui plerumque spreto in tractandis capitibus Religionis dicendi genere gravi nobilique pro argumenti dignitate, & amorem, qui eis debebatur & auctoritatem omnem amittunt: insuper vero res sacras maximique momenti stylo barbaro, inepto, arido, elumbi atque exsucco, qui præter nauseam & contemtum lectoribus nihil creare solet, proponunt. Hæc est causa, quæ tam multos à Scholasticorum consortio abegit, quæque horrorem omnibus eis gravem injecit, qui in elegantiores litteras naturali quodam ductu ferebantur: barbaries hæc essentialis Theologiæ Scholasticæ pars credebatur, quia ubique scholarum regnabat, Theologique ad unum fere omnes jugum ejus subibant. Verum erroneæ ac præconceptæ huic opinioni renunciandum merito fuisset, cum insignes semper Viri extiterint, qui easdem materias alio plane modo, eleganti videlicet, atque comto, quantum operibus dogmaticis convenire potest, mascule elaborarunt.

Quando Patres exemplum & doctrinam S. Pauli secuti in Dialecticam invehebantur, illam tantummodo vituperabant, quæ vitiis modo nominatis erat commaculata, usi ceteroquin ipsi Dialectice sana ad confutandos hæreticos, ad explicandum sacrum codicem, fideliumque informationem.

Ad eloquentiam quod attinet, etiam illa utiliter & cum fructu rebus Theologicis adplicari poteſt: Nam non Patres ſolum & antiqui Theologi ad tradendas religionis veritates, hominumque animos convincendos movendosque eam uſurparunt, ſed & ipſi ſcriptores divinitus inſpirati Rhetoricam eam non neglexerunt, id quod ex nobilitate & ſublimitate ſententiarum, quas adhibent atque dictionis, tum ex figurarum arte atque peritia commovendi affectus colligere eſt, quæ ornamenta in Pſalmis maxime & Prophetarum libris occurrunt. Quin imo nullus liber tam ſublimem & infucatam in ſe continet eloquentiam, quam liber Bibliorum Veteris & Novi Teſtamenti. Temerarium itaque foret, veram illam & intemeratam eloquentiam, tanquam inutilem Theologis adſpernari atque rejicere. Hoc equidem veritati conſentaneum eſt, poſſe aliquem eloquentiâ abuti, ſed eapropter Auguſtino teſte, *non facultas ipſa, ſed eâ malè utentium perverſitas in culpa eſt*, in de Doctr. Chriſt. Lib. II. c. 36. n. 54. Cum per artem, „ ſcribit Lib. IV. c. 2. n. 3. in eod. Lib. rhetoricam „ & vera ſuadeantur & falſa, quis audeat dicere, „ adverſus mendacium in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem, ut videlicet „ illi, qui res falſas perſuadere conantur, noverint auditorem, vel benevolum, vel intentum, „ vel docilem, proemio facere iſti autem non noverint? Illi falſa breviter, aperte, veriſimiliter; „ & iſti vera ſic narrent, ut audire tædeat, intelligere non pateat, credere poſtremo non libeat? Illi animos audientium in errorem moven-

„ tes

tes impellentesque dicendo terreant, exhilarent, „
exhortentur ardenter; isti pro veritate lenti frigidi- „
que dormitent? Quis ita desipiat, ut hoc sapiat? „

Eadem Lactantius Augustino priùs adnotavit. *Nam licet* veritatis causa, inquit de Falsa Relig. Institut. *possit sine eloquentia defendi, ut est à multis sæpe defensa: tamen claritate ac nitore sermonis illustranda, & quodammodo disserenda est; ut potentius in animos influat, & vi sua, & instructa religione, & luce orationis ornata.* At vero quamvis Eloquentia ad confirmandas religionis veritates ac mores inprimis Christianos per multum conferre possit, frequentem tamen ejus abusum & excessum non est quod inficias eamus.

Abutuntur ea primo, qui veritatem nostrorum mysteriorum stilo plano atque simplici exponendam, per cincinnatos, frigidisque figuris tortos magis quam compositos sermones probare conantur. Secundo, vehementer nos deciperemus, si persuaderemus nobis, religionis veritates absque eloquentia doceri non posse, humilemque de iis conceptum oriri, nisi flosculis & ornamentis rhetoricis exornentur. Vitium hoc esset sane gravissimum, si quis in sermonibus fidem & mores attinentibus potius elegantiam, figuras & eloquentiam quam ipsas veritates admiraretur atque diligeret. Veritates præcipuum nostri amoris nostræque admirationis objectum esse debent; inversio autem ordinis foret, si veritates divinas tantum ob modum cultumque orationis, quo proferuntur, amplecteremur: interim non est prohibitum, veritates has eis circumdare orna-

mentis, quæ hominum animos tangere pressius ac movere valent. Planeque similis ratio habenda est eloquentiæ, qualis habetur ratio cantionum, imaginum aliorumque adminiculorum, qubus ad veritates gratius atque ad sensum accommodatius exprimendas utimur. Nemo dubitat, quin veritas per se ipsam res sit amabilissima, summumque atque unicum beatis allatura oblectamentum: quia vero corruptus homo in veritatem nudam non eo, quo par est, gustu & amore fertur, merito illa sunt adplicanda instrumenta, quibus grata & accepta magis ea reddatur: atque per idipsum ordo rei non invertitur, quia has operas ob ipsam tantummodo veritatem adhibemus, ita ut ille primus & ultimus finis semper permaneat.

Tertio, falsam omnem & adfectatam eloquentiam rejicit religio: poscit è contrario facundiam gravem, sapientem, & objecto convenientem: omnino non adprobat eloquentiam effœminatam, jocularem, ludicram, antithesibus & continuis metaphoris plenam, verborum lusu, figuris & descriptionibus jucundis magis quam utilibus superbientem. Vera eloquentia nunquam non sapientiam habeat comitem. *Quid ergò est*, Augustini verba sunt, in de doctr. Chr. Lib. IV. c. 28. n. 61. *non solum eloquenter, verum etiam sapienter dicere, nisi verba in submisso genere sufficientia, in temperato splendentia, in gravi vehementia, veris tamen rebus quas audiri oporteat, adhibere?* Primum genus dictionis, adhibendum est in simplici mysteriorum expositione sive in thesi; alterum in scriptis polemicis sive antithesi, postremum

mum in pædia seu exhortationibus pro concione. Sed eloquentia hæc in declamatorium stilum, degenerare nunquam debet. Sanctique Cypriani, quod in Epistola ad Donatum providens dedit consilium, semper in memoriam est revocandum: *In judicii contentione pro rostris, opulenta facundia volubili ambitione jactetur: cum vero de DEO & Domino vox est, vocis pura sinceritas, non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, sed rebus. Denique accipe non diserta, sed fortia, nec ad audientiæ popularis illecebram culto sermone fucata, sed ad divinam indulgentiam prædicandam rudi veritate simplicia.* Summe autem necessaria Eloquentiæ pars in rebus ad religionem spectantibus in eo consistit, ut terminis rem claris atque distinctis explicemus. In quacunque demum lingua verba feceris, barbaries & confusio sermonis & ipsas res confusas reddet, in easque lectori nauseam excitabit. Verum est plus ad rei veritatem, quam sermonis elegantiam adtendendum esse, cum autem per naturam homo ita sit dispositus, ut elegantia atque puritas sermonis res ipsas acceptiores ei reddant, sermo autem subobscurus, elumbis atque confusus subinde rei quoque tædium secum ferat, necesse est, ut sacra proferamus & eloquamur. *Intelligenter, libenter, obedienter, ut veritas pateat, ut veritas placeat, ut veritas moveat* ad monitum Augustini Lib. IV. de doctr. Christ. Hoc autem fieri nequit, nisi sermo verbis & expressionibus constet claris atque distinctis. Incomta, crassa, & pinguis Minerva, plerunque

difficilis & illepida eſt, neque etiam commovendi neque perſuadendi inſitam vim habet.

Hâc quoque de cauſa linguarum cognitio perquam eſt neceſſaria Theologis. Verum eſt adhuc cauſa alia multo prægnantior, ſcilicet quod noſtra doctrina libris Ebraicis, Græcis & Latinis contenta, absque illarum linguarum cognitione nec intelligi ſolide, nec tradi aliis feliciter poſſit. Quis enim dicere conabitur, Ebraicam linguam parum ad intelligentiam librorum Veteris & Novi Teſtamenti conducere? cum Hebraica lingua fons ſit, & verſiones hebraiſmis ſcateant, omnibus vel primo patet intuitu, notitiam hujus linguæ ad intelligendos eos utiliſſimam eſſe, maximeque neceſſariam. Si quando cum Judæo, vel aliquo noſtri temporis vel hæretico vel diſſentiente diſputationis ſerra agitanda eſt, Theologus hebraicæ linguæ expers ad ſilentium redigi vel quovis momento timebit, cum ſæpiſſime neſciat, quid reponat, vel quommodo ad objectionem reſpondere debeat, ubi ipſi regeretur: in hebräicis hoc non extat, textus hebraicus non ita legendus, hoc & illud placitis tuis contrarium in ſe continet. Jam ſi ipſe textum legere & explicare nequit, facile aut imponi ſentiet ſibi, aut mutus erit magis quam piſcis, atque riſui reliquorum, qui adſtant expoſitus.

Libri Novi Teſtamenti Græcâ exarati ſunt linguâ, nec non excellentiſſimi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores, quorum ſcripta hâc conſignata lingua habemus. Quanta nunc præſtat linguæ hujus peritus præ alio, eam ignorante? quantum utili-

utilitatis ac jucunditatis percipiet iste, qui fontes ipsos scrutatur potius, quam ut versiones saltem introspiciat sæpe non satis fidas: aut quæ si bonæ quoque fidei sint, nec eandem cum fontibus pulchritudinem, neque vim continent? Ceteris quoque Linguis usus suus constat, sive sit ad intelligentiam librorum theologicorum, istis linguis exaratorum, sive ad prædicationem & propagationem Evangelii, ut constitutum est in Clementina *de Magistris* Lib. V. cap. *inter sollicitudines*.

Bonus tandem theologus omnes quoq; scientias reliquas in usum suum vertere potest, adplicareque vel ad explicationem Scripturæ, vel ad formandum de rebus judicium, vel ad enodandas difficultates, quæ enasci ex istis scientiis proferrique solent, & quas interdum, ubi de Relig. capitibus nonnullis tractatur, solvere tenemur. Sed evitanda Theologo est 1°. nimia curiositas, 2°. ne rebus mere superfluis operam navet, 3°. ut fugiat scientias frivolas atque noxias, 4°. ut nec iis rebus, quæ usui ipsi esse possunt, nimium temporis impendat, 5°. magna eis moderatione uti debet, mysteria nunquam ex scientiarum harum principiis deducat, nec in rebus theologicis ad ventilandas peregrinas quæstiones exspatietur. Si quando in explicationibus Scripturæ ad has scientias recurrere, easque quæstiones incidentes tractare, quæ ad intelligentiam textus spectant, cogitur, sobrie hoc facere debet, & quando necessitas instat, nec ex accessorio quodam rei cardinem constituat, dum occasione loci Scripturæ quæstiones geometricas, geographicas, chronologicas, criticas sive philologicas prolixe pertractat,

ſicut nonnulli interpretes improvide fecerunt. Evitatis modo hiſce vitiis profanæ ſcientiæ in Theologia cum uſu adplicari poſſunt.

Interim ex omnibus ſcientiis Theologo nulla eſt tam neceſſaria, quam Hiſtoria, quæ in ſacram, eccleſiaſticam & profanam dividi poteſt. Hiſtoria ſacra libris divinitus inſpiratis Veteris & Novi Teſtamenti comprehenſa, noſtræ religionis fundamentum eſt. Eccleſiaſtica ſive Hiſtoria Eccleſiæ à JEſu Chriſto ad noſtra uſque tempora non minus neceſſaria eſt ad confirmationem & conſervationem doctrinæ chriſtianæ. Sive dogmata, ſive diſciplinam aut mores concernat. Ex hac enim hiſtoria diſcimus, quæ fuerit Eccleſiæ doctrina à JESU Chriſto ad nos uſque; hoc nobis, uti jam probavimus, ad inſtar infallibilis regulæ inſervit, ut veritatem cognoſcamus. Deprehendimus inſuper in hac Hiſtoria diſciplinam eccleſiaſticam omnium temporum, tanquam in tabula fideliter depictam. Denique hiſtoria hæc magnum nobis ſuppeditat numerum illuſtrium pietatis, conſtantiæ, virtutis atque ſimplicitatis exemplorum, quibus facile in amorem atque imitationem rapimur. Hiſtoria profana vetus & nova tam arcte cum Hiſtoria ſacra & eccleſiaſtica eſt conjuncta, ut impoſſibile ſit, hanc absque illius præguſtu intelligere, utque ad Eccleſiaſticæ perfectam cognitionem utiliſſimum ſit, præcipuum in ſtudio hiſtoriæ civilis profectum feciſſe. Nam & inprimis alias ſervit ad confirmandam & illuſtrandum veritatem factorum in Hiſtoria ſacra & eccleſiaſtica allegatorum. Hiſtoriæ Chronologiam addo, quam ocel-

lum

lum animamque ejus merito dixeris, nec non Geographiam, hæc eo magis cognitu necessaria est, quod absque hujus ope dispositio & subordinatio Ecclesiarum explicari nequit: quippe quæ ad formam imperii fuit instituta.

At vero quemcunque demum usum Scientiæ modo nominatæ in Theologia præstent, earum tamen abusus committi frequenter potest. 1°. Si nimium temporis inquisitioni rerum inutilium & curiosarum impendimus, quod in rebus ecclesiasticis juxta ac profanis accidere potest. Fatendum enim est, non minorem abusum esse tam in Theologia positiva quam Scholastica, quæstiones inutiles & peregrinas, quæ nec ad confirmandam aliam solidam veritatem, nec ad instructionem, neque ad ædificationem christianorum quidquam conferunt, cum fervore excutere. At quam multos viros doctos & ad meliora idoneos deprehendimus hodie, qui in ejusmodi inutilibus quæstionibus omnes ingenii nervos intendunt, qui toti æstuant, dum prolixis ambagibus minuta quædam quæsita chronologica, ad rem parum facientia, mereque curiosa, quarum cognitio nihil ad doctrinam, disciplinam aut Christianos mores prodest, diu noctuque anxii scrutantur? Sunt utique, quod fateor moneoque, ejusmodi quæstiones non semper, negligendæ vel post tergum rejiciendæ, quippe quæ majorem sæpe usum suppeditant, quam multi crederent, modo non summa rei in illis ponatur, modo non nimis fervide tractentur, sed earum examen modeste fiat. Nam intentio eruendi veritatem alicujus facti,

quod usum habere suum potest, excusationem meretur utique. Sed illis nulla danda est venia, qui sub prætextu pietatis falsa & incerta facta venditant, literis mandant, defendunt, aliisque credenda temerè obtrudunt.

Non solum autem imposturas has crassiores, fabulasque, quas auctores nullius fidei excogitarunt, inque vulgus seminarunt, theologus rejicere debet, sed nec ea, ut Augustinus monet, quæ Scriptores celebres scripserunt, sine examine recipere debet, quia, exercitatissimi licet fuerint, decipi vel ab aliis seduci potuerunt. Nullus fermè historicus (auctores divinitus inspiratos excipio) fuit, è quo non exempla errorum lapsuumque monstrari possent, in quos incidit aut vitio relationum & commentariorum, quos sequitur, vel diligentia minus adtenta, aut defectu scrutinii accurationis. Jure itaque, in veritatem historiarum ab eo traditarum inquiri, & secundum regulas criticas judicium de illis ferri poterit: Cum cura tamen simul cavendum, ne in oppositos sibimet excessus binos incidatur; quorum unus est audacia nimia, qua nonnulli facta ab auctoribus fide dignis relata, absque argumentis firmis atque sufficientibus tanquam falsa rejiciunt, alter obstinatio, qua veritas factorum ab auctore uno, alias fide non indigno, relatorum pertinacius defenditur, quæ tamen vel per auctores alios, vel per rationes solidas ac evidentes falsitatis si non aperte convicta certe ad minimum vehementer suspecta redduntur. Critici duas super hac re nobis regulas sup-

ſuppeditant, quas ut exactè ſequamur, prudentia ſuadet.

Prima eſt Baronii. *Quod à recentiore auctore de rebus antiquis ſine alicujus vetuſtioris* (qui eodem tempore, quo res contigit, vixit vel paulo poſt) *auctoritate profertur, contemnitur.* Hujus regulæ ratio evidens eſt: recentiores enim ejusmodi auctores res illas, quæ multis retro ſeculis ante ævum ipſorum acciderunt, ſcire non potuerunt, niſi ex auctoribus longe vetuſtioribus eas excerpſerint: neceſſe itaque eſt, ut res, ſi quas produnt, novas aut facta veteribus non memorata ipſimet ex ſuo cerebro confinxerint. Nec eſt, quod quis objiciat, ipſos transmiſſa per traditionem ea, ſcire potuiſſe: hæc enim exceptio tum demum locum habet, ubi de autoribus ſermo eſt, qui non multo poſt, ex quo res iſtæ geſtæ ſunt, vixerunt: Tunc nimirum, ſi res palam præclare geſtæ in omnium ore notitiaque fuerunt, potuit conſervari earundem memoria aliquandiu, tametſi nemo literis quidquam ſcriptum de illis retuliſſet; verum ſi longior temporis tractus præteriit, in quo nihil literis mandatum eſt; fama vulgi & quas plebs fert, traditiones ad minimum incertiſſimæ ſunt, quippe quarum autor & origo latet, ut ſæpe numero ſuppoſititiæ fidem fallunt. Ceterum hiſtoricorum ſilentium per plures annos continuatum argumenti criteriique ordinarii inſtar eſt, rem aut factum, quo de lis agitur, fuiſſe incognitum planeque non conſtans, per conſequentiam teſtimonium recentis auctoris, qui veteris facti meminit, illud tamen nullo

anti-

antiquioris alicujus auctoris testimonio comprobat, nullius est auctoritatis, & pro ficto saltem atque fabuloso habendum. Neque quidquam aget, qui reponet fortasse denuo: Non esse tamen in se impossibile, quin historia talis vera sit: Fateor; sed quid tum? Non sufficit possibilitas, ut aliquid esse verum credam, sufficientes quoque adsint rationes oportet, quare pro vero quid habeatur; deficientibus his judicium hâc in re non solum suspendendum, sed & ejusmodi factum velut falsum & fabulosum est rejiciendum: sequens exemplum dictis lucem affundet: si quis dicat, thesaurum alicubi esse absconditum, & tamen probare non possit, unde certo id sibi constet, sed tantum quod ita conjiciat, vel quia id relatum acceperit ab hominibus, qui certi tamen nihil hac de re scire poterant, non solum nulla fides hominis ejus verbis habebitur sed & narratio ejus inter fabulas & affanias relegaretur. Atqui impossibile non est, thesaurum aliquem eo loco reconditum esse posse; sed sufficit tamen, ut pro fabula aut commento ridiculo ducatur, quod nullo idoneo argumento affirmatur. In rebus ad fidem historicam pertinentibus, omne factum auctoritate destitutum non solum ut incertum, sed etiam ut falsum atque fabulosum rejiciendum est.

Secunda regula ad dijudicandam factorum veritatem hæc est: Auctor illud referens Vir probus sit & fide dignus, quique eas res, quas refert vel oculis usurpare coram, vel certo scire potuerit: vir probus inquam & fide dignus sit; nam

nam si Auctor nugis & fabulis effingendis est adsuetus, si homo est stulte credulus, quique cuncta, quæ audivit, sine delectu, sine judicio chartis illinere consuevit, cui volupe est, incertas quasvis fabellas conligere atque consarcinare, vel sibi ipsi fictis narrationibus imponere; huic si, quod in medium profert, nullius alius magis idonei auctoris testimonio comprobetur, parum fidei commodandum est, juxta regulam; *mendaci, etiam vera dicenti, non creditur*. Verum si vir est sincerus, fideque dignus, factum referens, cui ipse oculatus testis interfuit, non est, quod in dubium ejus relationem aut voces, saltem si nullæ probent rationes certæ, deceptum eum fuisse, sique factum illud non fuerit ejusmodi naturæ sive conditionis, ut in eodem decipi ille facile potuerit; & ubi aliunde non suppetunt argumenta, quæ lapsum vere fuisse probent. Ceteroquin etiam in factis, quæ ex aliorum fide tradit vir probus, fides ipsi habenda est, si facta sunt publica, de quibus falli non potuit. Sed si facta sunt particularia & secreta, tum veritas ab eorum auctoritate suspendi debet, abs quibus ille edoctus est.

Hoc ut bene intelligatur, tertia est addenda regula: Sunt res quædam suâpte naturâ magis credibiles quam sunt aliæ: dantur item facta sive res gestæ, de quibus historici nec falli temere possunt, nec alios fallere: hujusmodi sunt res publice gestæ, insignes atque ob fulgorem nemini non notæ: impossibile est, Auctorem tanta in luce, quod substantiam facti attinet, falli potuisse, etiamsi falsus esse possit in circumstantiis; & impossibile est, homi-

hominem pudorem, fidem, & veritatem ita decoquere posse, ut in rebus adeo manifestis in fraudem alios inducere præsumat. Dantur rursus res particulares paucis modo personis, vel uni tantum historico notæ. Respectu priorum, ratæ quoque certitudinis sunt, si ab hominibus sunt traditæ, qui inter testes oculatos vixerunt. Posteriores ab incorrupta Auctoris fide, sive ab iis, à quibus relata accepit gesta, dependent. Horum autem factorum ea maxime verisimilia sunt, quæ sunt non insolita neque inconsulta, quæque testes non suspecti enarravere, è quorum re non erat, excogitare illa: minus verisimilia sunt, quæ de factis sunt extraordinariis, ab eis relata personis, quorum intererat, ut vera essent, vel crederentur saltem.

Hoc ipsum, *quod interest*, sive partium studium vel ob privatum commodum, vel ob alium quemlibet mentis adfectum quartæ regulæ occasionem præbet: Historicis eo magis fidendum, quo minus partium studio indulgent; nam si vel odium vel amor per ipsos loquitur, tum vela dant exaggerationibus & cursum orationis vel ad gratiam & commodum, vel ad odium ac detrimentum malignantes inflectunt: quin & contentionis æstus eò quandoque illos adigit, ut exprobrent parti adversæ, quæ non ex omni parte vera sunt: uti sane sæpe numero accidit, ut viri, quos optimæ fidei putares utrinque, minime tamen in recensendis rebus, quas alter alteri imputat, conveniant. eapropter tamen statuendum non est, hominem aut historicum aliquem, simulac ab altera parte

stare

ſtare cœpit, plane indignum fide fieri, e. g. eorum nihil credendum eſſe, quæ Patres de hæreticis eorumque erroribus referunt, quia calamum in eos ſtrinxerunt; lapſus hic in extremum alterum non ſine pernicie vergit; fides enim & probitas S. Patrum credere non permittit, quod adverſarios ſuos manifeſtò calumniati ſint. Et finge tamen, alibi hoc ita ſeſe habere, dantur nihilominus facta, quæ pro veris merito ducas, licet ab hoſtibus partium ſtudio ardentiſſime deditis ſint prolata, facta nempe manifeſta atque in vulgus publice nota, quæ fingi temere aut excogitari potuiſſe, incredibile plane eſt, quippe quæ è veſtigio falſitatis redarguerentur. Perrarum eſt, homines, utcunque malitioſi ſint ingenii, talia protrudere audere, multo igitur minus hujuſcemodi ſuſpicio in viros cadet, de quorum integritate atque probitate conſtat.

Quinta regula ad dijudicandam veritatem & certitudinem facti, conſenſus eſt hac in re ſcriptorum coætaneorum: profecto, ſi plures ejusdem temporis auctores de veritate rei alicujus aut facti convenerint, tum id pro certo haberi debet. Sed non ejusdem eſt certitudinis, ſi quidam illud adprobant, alii vero rejiciunt, inque eorum ſententiam eundum eſt, qui teſtimonii probitate ſunt inprimis incluti, quique certiorem rei cognitionem habere potuerunt, aut innitendum circumſtantiis chronologicis aliisve temporis illius, quæ factum vel magis vel minus reddunt veriſimile.

Sexta proinde ratio falsitatem historiæ alicujus coarguendæ ex ipsa deducitur historia, cum illa nimirum neque cum chronologia temporis, neque cum aliis factis prorsus indubiis componi potest: v. g. si fingantur certi duo viri, qui se mutuo viderint, cum constet illos seculis plane diversis extitisse: aut dicatur res quædam gesta sub istiusmodi Rege aut Principe, qui longo abhinc tempore jam obierat; vel indicetur urbs, ubi res ista contigerit, nondum eo tempore exstructa; aut regnum tum nondum conditum; hæc sane argumento erunt, quod factum, quâ circumstantias suas falso sit relatum. Accidere interdum potest, ut in circumstantiis tantum decepti simus, Historiaque quoad rem ipsam, sive in fundo, vera sit: at si caput rei seu principale factum subsistere nequit, quin in apertum anachronismum incidamus, deserendum illud est; nam hoc esset, risui se exponere si defensioni pertinaciter inhærere velles.

Permagni quoque in Theologia momenti res est peritia, distinguendi opera supposititia à veris, hâc absente, sæpe liber hæretici allegatur, ubi Ecclesiæ Pater citari putatur, ineptus auctor sub nomine Auctoris & veneratione & admiratione dignissimi, scriptor recens & nuperus pro quodam vetustissimorum auctorum: & quemadmodum decisio diversarum rerum, vel doctrinam vel disciplinam adtinentium à testimoniis sæpe dependet, turpiter quis se decipit, qui fallacem viæ ductorem sequitur. Dedimus jam alibi criteria & conjecturas, quæ ad librorum suppositionem dignoscen-

ſcendam & dijudicandam uſui eſſe poſſunt: ſed quid obſtat, quo minus hîc notas illas non inutiles utique nec loco alieno repetamus? Eæ vel internæ ſunt vel externæ, utræque certo aliquando rem evincunt, aliquando vero gignunt probabilitatem. Internæ ſunt ex ipſo opere depromptæ, quod convincitur ſuppoſitionis vel à tempore illic nonnullis indiciis notato, vel à doctrinis ibi traditis, vel à ſtylo, quo liber eſt exaratus: tempus criterium eſt certiſſimum, nihil enim magis perſpicue prodit, opus illo tempore, quo ſupponitur, non eſſe ſcriptum, quam ſi notæ poſterioris temporis in eo deprehenduntur: Occurrunt autem hæ primo in falſa ſubnotatione annorum, unde fraus patet; hoc enim impoſtoribus ſolemne eſt, ut, dum certum operi ſuo tempus adſignant, imperitia turpi tale eligant, quo jam deſierat eſſe in vivis autor, quem mentiuntur, aut ille, cui liber nuncupatur, quin & ſi recte eo ſignant tempore, quo auctor ille vixit, frequenter tamen falluntur in nominibus Conſulum peſſime adſcriptis, vel aliis notis, ex quibus videre eſt, operis parentem verum tunc temporis, quo vixiſſe credi vult, vitam haud egiſſe. Secundo impoſtoribus plerunque accidit, ut in libris ſuppoſititiis ſuis de hominibus ſubinde loquantur, velut tum jam viventibus, qui diu demum nati ſunt poſt mortem autorum, quibus improba temeritate librum ſuppoſuerunt; aut ut hiſtorias referant, quæ itidem diu demum poſt fata illorum contigerunt, item de urbibus populisque loquantur, quæ iſto ævo, quo auctores hi, quorum no-

mina mentiuntur impoſtores, extabant, nondum erant cognitæ, utque eos allegent auctores, qui poſt illos, quos loquentes inducunt, vixerunt atque ſcripſerunt, &c.

Dogmata ſive res in opere contentæ illius ſuppoſitionem redarguunt 1°. Si ea ibi reperiuntur dogmata, quæ multò poſt auctoris, cujus nomen fert, tempora ſunt ventilata aut clare tradita. 2°. Si ejusmodi ad exprimenda dogmata termini adhibentur, qui poſt mortem ejus demum in uſu ferri cœperunt. 3°. Si errores impugnantur, quaſi eo tempore jam extiterint, cum tamen poſt eum ſint orti. 4°. Si terminos, uſus & conſuetudines deſcribit, quæ nondum illo tempore vigebant. 5°. Si dogmata inſunt illis contraria, quæ in aliis viri operibus reperiuntur, quæ auctoris verus atque genuinus absque controverſia foetus ſunt. 6°. Si de materiis tractatur, quæ tunc temporis, quo Auctor inter mortales fuit, non dum tractari cœperant. 7°. Si hiſtorias continet, quarum fictio fabuloſa vel manibus palpari poteſt.

Denique ſtilus ad inſtar lapidis lydii eſt, qui veritatem aut falſitatem operum detegit, quia impoſſibile eſt, auctoris ſtilum adeo perfecte curateque aliquem imitari poſſe, ut non magna ſemper differentia intercedat. Per ſtilum non verba tantum atque termini ſunt intelligendi, hæc perfacile quis imitari poterit, ſed univerſum dicendi genus, ſcriptionis indoles, elocutio, figuræ, methodus: quæ omnia imitando haud facile ita quis expreſſerit, quin ſe frequenter imprudens prodat. Sunt nominatim certi auctores, quorum ſtilus facile

cile internoſcitur, quique eſt inimitabilis. Non tamen ſemper propter exiguam ſtili differentiam ſine alio indicio opus aliquod rejiciendum eſt, quia auctores diverſe ſæpe, diverſis temporibus ſcribunt; neque etiam ob ſolam ſtili convenientiam, ſi alia ſuppoſitionis adſunt indicia, recipiendus eſt liber, quia exercitato homini interdum ex voto cedit, ſtilum alicujus auctoris præſertim in opere haud prolixo ad vivum imitari. Interim tamen differentia aut convenientia ſtili tam evidens eſſe poteſt ſubinde, ut veritatis aut falſitatis criterium ſit irrefragabile.

Criteria externa petuntur, 1°. ab antiquis manuſcriptis, in quibus nomen auctoris, cujus eſſe credebatur, vel plane non indicatur, vel alterius etiam diſertis verbis operi præfigitur; Manuſcripta autem quo ſunt vetuſtiora & correctiora, eo majoris ſunt æſtimanda. 2°. Vel à teſtimonio, vel ſilentio veterum auctorum: ab ipſorum inquam teſtimonio, ſi formaliter vel claris verbis librum velut ſuppoſitum rejiciunt, vel alii auctori adſcribunt: à ſilentio ipſorum, ſi nihil ejus memorant, cum occaſionem tamen dicendi habuerint; argumentum hoc negativum magni interdum eſt ponderis, ſi e. g. integra opera, quæ veteri cuidam auctori adſcribuntur, toti antiquitati fuerunt ignota; ſi omnes illi, qui de operibus auctorum locuti ſunt, eorumque catalogum in peculiaribus ſcriptis ad poſteros tranſmiſerunt, hujus operis ne verbo quidem meminere; ſi liber catholicorum hypotheſibus ſavens ab eis non citatus fuit, qui data tamen occaſione citare eum

 potuiſ-

potuiſſent ac debuiſſent, maxime eſt probabile, librum iſtum eſſe ſuppoſitum. Certum etiam eſt, ad fidem libri alicujus imminuendam ſufficere, ſi à nullis antiquis allegatus eſt: ideoque inſignes planeque authenticos genuinæ antiquitatis characteres præſeverat oportet, ut ſine contradictione recipiatur: è contrario autem, ſi vel leves tantum conjecturæ adſunt; & antiqui de illo ſileant, quin ad ſuppoſititios ſit referendus nullum eſt dubium.

Hæ ſunt regulæ criticæ ad diſcernendos libros falſos & ſuppoſitos à libris veris atque genuinis, quarum quædam ſunt demonſtrativæ, quædam probabiles modo. Criteria interna plerunque externis certiora ſunt, & inter criteria externa auctorum teſtimonium expreſſum fortiſſimum eſt. Dici tamen id in ſumma poteſt, omnia criteria nunc magis nunc minus eſſe demonſtrativa aut probabilia, ſupremamque regulam à judicio æquitatis & prudentiæ peti, ad quod rationes hujus & illius partis ponderantur, quando omnes inſimul conjecturæ pro & contra in unum colliguntur: ſæpe enim accidit, ut conjecturæ ſingulæ ſeparatim ſpectatæ haud magni momenti videantur, quæ ipſæ, ſi omnes ſimul inter ſe combinatæ conjungantur, certitudinem rei moralem præbent.

Philoſophorum tam antiquorum, quam recentium, aliorumque auctorum profanorum auctoritas in theologia non eſt uſurpanda, ut principium vere theologicum, nec ut certum alicujus dogmatis criterium, nec ut argumentum veritatis indiſſo-

indissolubile. Dantur res, quæ ab omnibus antiquis philosophis pro veris habitæ sunt, quarum tamen falsitas postea deprehensa fuit: cottidie abdicamus earum opinionum abusus, quæ antea invictæ veritatis regnum tenebant: Habet religio alia eaque certiora principia, quibus fundatur. Venit JEsus Christus in mundum ut sapientum hujus mundi sapientiam, prudentum prudentiam, & Philosophorum superbiam per stultitiam crucis pudore confunderet. Interea Apostoli est Ecclesiæ patres haud veriti sunt, auctoritatem atque ratiocinationes philosophorum adhibere utiliter ubi vera locuti sunt, vel crassiores paganorum errores traduxerunt. Quæ philosophi de existentia DEI, de Providentia, de immensitate, vel reliquis ejus adtributis, de principiis moralibus, & de virtute præclare dixerunt, laudarunt, atque allegarunt, ad auctoritatem pariter & rationes eorum provocarunt, ubi fictitios gentium vulgique deos refutarunt, morumque vitia reprehenderunt: in quo S. Paulum Apostolum imitati sunt, cui haud quaquam religioni fuit: profanos poëtas pro concione allegare, Aratum scilicet de existentia DEI, & Menandrum de improbis moribus, qui ex conversatione cum deperditis hominibus proveniunt. Priorem S. Paulus allegat in oratione, quam Athenis in Areopago habuit ubi probaturus, verum DEum non in manufactis templis habitare, sed in ipso ac per ipsum vivere nos, moveri, atque esse, allegat hanc poëtæ modo nominati sententiam: *Ipsius enim progenies sumus, sicut vestrorum poëtarum quidam dixerunt;*

Nam & genus ejus sumus. Actor. XVII. v. 28. Alterum producit Apostolus, cujus gnomen in priore ad Cor. Epist. Cap. XV. v. 32. refert: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Ad Apostolorum exemplum Patres quoque testimonium philosophorum & poëtarum ad confirmandas & illustrandas, quas docuerunt veritates, sæpenumero retulerunt: immo sunt nonnulli, qui ad illustrandum firmandumque de Sacro Sancta Trinitate articulum loca quædam ex Platone allegarunt. Hinc non solum Philosophiæ, Oratoriæ, Historiæ & ipsorum Poëtarum studium haud inutile & prohibitum duxerunt: sed etiam ex illorum scriptis patet, assiduam in his studiis operam ipsos navasse, expressis hoc verbis Hieronymus & allegatis insigni numero celebrium è Christianis autorum exemplis in Epistola ad Magnum Oratorem Romanum evincit, qui ipsi objecerat, vitioque verterat, quod ad exempla & auctoritatem ex gentilium scriptis petitam interdum provocaret. Pulchre inter alia: *Legimus*, inquit, *in Deuteronomio Domini voce præceptum, mulieris captivæ radendum caput, supercilia, omnes pilos, & ungues corporis amputandos, & sic eam habendam in conjugio. Quid ergo mirum, si sapientiam secularem propter eloquii venustatem & membrorum pulchritudinem de ancilla atque captiva Israelitidem facere cupio? &, si quicquid in ea mortuum est, idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado, & mixtos purissimo corpori vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth?* Sanctus quoque Augustinus in ea est sententia, posse Christianos

ſtianos auctoribus profanis uti; & hactenus jam cum utilitate uſos eſſe. Philoſophi enim qui vocantur, inquit Lib.II. de Doctr. Chriſt. cap. 40. Si qua forte vera & fidei noſtræ accomoda di-„ xerunt, maxime Platonici, ea ipſa non ſolum „ formidanda non ſunt, ſed ab iis etiam, tanquam „ injuſtis poſſeſſoribus, in uſum noſtrum vindi- „ canda. Nam quid aliud fecerunt multi optimæ „ notæ fideles noſtri? nonne conſpicimus, quanto „ auro & argento & veſte ſuffaſcinatus exierit ex „ Ægypto Cyprianus, doctor ſuaviſſimus & Martyr beatiſſimus, quanto Lactantius, quanto „ Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis ta-„ ceam, quanto innumerabiles Græci? Quod „ quidem prior ipſe fideliſſimus DEI famulus „ Moſes fecerat, de quo ſcriptum eſt, quod eru- „ ditus fuerit omni ſapientia Ægyptiorum.„

Verum in quem finem huic rei diutius immoremur? Si quis noſſe deſiderat, quam fuerint Patres in Philoſophorum lectione verſati, literisque elegantioribus inſtructi, evolvat tantum libros eorum & ſciet: ad eum certè eruditionis gradum non perveniſſent, niſi multum temporis huic impendiſſent ſtudio: atque id ipſum minime feciſſent, nec Eccleſia toleraſſet, niſi è re & uſu fuiſſet: quin literis politioribus miſiſſent toties nuntium caſu omni, quo ad ſtudium ſeſe ſacrum adplicarunt. At è contrario eas ita neceſſarias arbitrati ſunt, ut docendis peculiares haberent Scholas. Incluta Alexandrina ſchola non ſolum ſtudio Sacræ Scripturæ dicata fuit, ſed elegantiores quoque Literæ & Philoſophia iſtic docebantur: erant-

que doctores magni nominis Pantænus, Clemens Alexandrinus, Origenes & Heraclus, S. Basilius & S. Gregorius Nazianzenus, qui per plures annos litteris elegantioribus & Rhetoricæ strenuam operam navarunt, adeo nunquam tempus istud male collocatum existimarunt, ut subsequenti quoque tempore in maximum Ecclesiæ commodum iis usi fruerentur. Imperator Apostata Julianus usum atque commodum, quod Christiani ex bonis literis & philosophiâ percipiebant, tam exacte callebat, ut nullum medium ad christianam religionem despicabilem reddendam exponendamque contemptui aptius opinaretur, quam si gentilium librorum lectione eis interdiceret, metuens, ut ajebat, ne perpolito ex iis ingenio suo atque stilo ad argumenta gentilium deinceps eo promptius responderent. Factum hinc ea tempestate, ut quidam Christiani e. g. duo Apollinares conniterentur libros edere poëticos christianos, ut & oratorios atque Philosophicos, qui locum gentilium interdictorum supplerent. Sed utcunque non fuerint auctores ad conatus tales inepti, brevi tamen necessitas deprehensa est, ad gentilium libros recurrendi, quorum lectio post Juliani mortem non amplius prohibita fuit, sed in christianorum scholis impune continuata.

Et profecto scriptorum profanorum studium atque lectio Theologo perquam est utilis: quippe 1°. Philosophorum Poëtarumque testimoniis uti potest, non solum ut gentiles de veritate religionis vel à suis etiam ipsis tradita convincantur; verum etiam ut Christiani gravissimarum pœnarum

rei

rei convincantur olim absque dubio subeundarum, si eas non crediderint veritates, virtutesque exercuerint, quas gentiles ipsi cognitas suo modo habuerunt & admirati sunt. 2°. Profanorum scriptorum studium ad efformandum stilum est necessarium: certe enim è lectione illorum delicias linguarum, & præstantiam expressionum haurimus; & ex imitatione artem exactius scribendi & eloquentiam perficimus, tum ex usu eorundem familiari gustum exploratiorem acquirimus, ut indolem scriptionum melioris aut deterioris eo rectius discernere queamus. Discimus ex profanis auctoribus tum judicare, tum loqui exacte, concinno verborum ambitu rem exornare, rem propositam decente methodo atque ornate clareque exequi, amplificationes, ubi necesse fuerit, adhibere, &c. ecquis hæc omnia Theologo parum ad defendendas, explicandas & oratione pertractandas Religionis veritates utilia esse, dicere sustinebit? 3°. Auctorum quorundam profanorum sententiæ allegatæ, modo non nimium frequentes sint, animum excitant, & afficiunt: modo, ne nimis, inquam, frequentes appareant: fatendum enim est eas, quamvis antehac in frequenti usu fuerint, huicce tamen ævo non amplius ad palatum esse, vitiosamque adfectationem videri, si quis aliorum dicta promiscue allegare atque cumulare vellet. 4°. Profanorum scriptorum studium ad intelligentiam plurium dictorum Sacræ Scripturæ atque Patrum, cum operibus eorum hic illic congruentium permultum expedit.

Sed quemcunque demum usum à studio profanorum auctorum percipere possis, cavendus tamen & evitandus ejus abusus est sedulo. 1°. Ne studio huic plus æquo temporis impertias, nimiumque in excolendo eo desudes; juveniles ei anni tribuendi sunt, quibus ingenium ad ejusmodi exercitia imprimis aptum, rerumque altioris indaginis minus adhuc capax est; sed provectioris ætatis homo & ad functionem ecclesiasticam, taleque munus, quod subliniora studia poscit, evectus, adeoque Theologiam professus publice gravi imprudentia peccaret, si præcipuam studiorum suorum curam in ejusmodi labores vellet insumere. In Concilio Carthaginensi quarto, canone 16. Episcopis lectione librorum ethnicorum interdicitur: *Episcopus*, Concilii verba sunt, *gentilium libros non legat*, ex his Gratianus regulam cudit in dist. 37. cap. 1. S. Gregorius Nazianzenus epistola 43. S. Gregorium Nyssenum graviter reprehendit, quod lectoris muneri se subducere, & Rhetoricen profiteri pararet: neque plus parcit S. Gregorius Magnus Desiderio Vienensi Episcopo, eo quod Grammaticam quibusdam exponeret. Lib. IX. Ep. 48. Pervulgatum est, quod Hieronymus hâc de re, quæ sibi ipsi contigerant, refert, nempe cum Luciani, Plauti aliorumque auctorum profanorum lectioni nimium inhæreret, per visionem spiritu ad tribunal JEsu Christi protractum, ibique propter gentilium librorum lectionem flagris cæsum fuisse stipulatâ dein manu polliceri coactum, libros eos non amplius se lecturum. Interim regulæ istæ non æquo nimis extendendæ, neque

que profanorum ſcriptorum lectiones ſanctiori religionis ſtudio deditis interdicendæ ſunt penitus; quæ rationes impulerunt eos, ut in juventutis flore iſtos libros legerent, eædem in provectiore ætate, ut eorum lectionem continuent, compellunt: aſſiduam elegantiores literæ culturam poſcunt: aliàs guſtus earum, habitusque ſenſim evaneſcit, ac barbaries mentem vix etiam ſentientem opprimit. Tenentur, inquit Ambroſius in Lucam, harum rerum aliquas legere, ne non legantur, alias, ne „ ignorentur, & rurſus alias; ut rejiciantur, utq; illis „ pateat, ex quo profani auctores tantam gloriam „ conciliarunt. „ Canon iſte ſupra allegatus, quem communiter quarto Concilio Carthaginenſi adſcribunt, & qui ſane in antiquâ collectione quadam extat, quam nos arbitramur, eſſe quidem Eccleſiæ Africanæ, ætatis tamen multo recentioris, ob rationem quandam particularem forte compoſitus eſt; uſum tamen in Eccleſia nunquam obtinuit. S. Gregorius Nazianzenus & S. Gregorius Magnus illis, ad quos literas dabant, librorum profanorum lectionem haud prohibebant. Sed prior reprehendit, quod Lector quidam functione ſua deſerta Rhetorices munus adgredi tentet; alter vero, quod Epiſcopus in grammatices profeſſionem involet. Hiſtoriam S. Hieronymi quod attinet, ejus hâc de re ad Ruffinum reſponſio nota eſt, qui ipſi objecerat, quod ab eo tempore, quo hæc ipſi acciderint, nihilominus poëtarum libros legerit; ait nonniſi ſomnium fuiſſe, & continuare ſe philoſophorum atque poëtarum lectionem, eamque in uſum ſuum vertere: „ Utique ſi ſci- „ „ ret,

„ ret, inquit in ſuo in Dan. Comment. cap. I. ipſam „ ſapientiam atque doctrinam Babyloniorum eſſe „ peccatum, nunquam adquieſceret dicere, quod „ non licebat. Diſcunt autem, non ut ſequan- „ tur, ſed ut judicent atque convincant, & in „ ejusdem commentarii Procemio circa finem: ſi „ quando cogimur literarum ſecularium recordari; „ & aliqua ex his dicere, quæ olim obmiſimus: „ non noſtræ eſt voluntatis, ſed, ut ita dicam, „ graviſſimæ neceſſitatis. „ Solus itaque exceſſus, vel nimius in librorum pernicioſorum lectionem amor & pruritus damnabilis eſt. Sic Epiſcopi de jure damnarentur, (Hier. Ep. 146. ad Daniel.) qui lectionem Evangelii & Prophetarum neglexerint, ut comœdiarum lectioni, atque cantillandis paſtorum amoribus eo magis vacarent; qui totum ſe Virgilium memoriæ mandaſſe jactarent, & oblectationem indecoram ex rebus iſtius modi captarent, quæ pueris ut tradantur neceſſitas ſola extorquet. Occurrunt & alibi aſpera in hunc ſenſum verba Hieronymi, Lib. III. in c. 6. ad Epheſ. qui acerbe Epiſcopos & Presbyteros reprehendit, qui liberos ſuos in literis laſcivius erudiri ſinebant. *Legant*, inquit, *Epiſcopi & Presbyteri, qui filios ſuos ſecularibus literis erudiunt, & faciunt comœdias legere, & mimorum turpia ſcripta cantare, de eccleſiaſticis forte ſumptibus eruditos*, &c. Omnia hæc de exceſſu & abuſu hujus ſtudii, non autem de ſtudio profanos libros in ſalutarem finem legendi ſobrio atque moderato intelligenda ſunt. *Turbat acumen legentium*, ait Beda, *& deficere cogit, qui eos à legendis ſæcularibus literis omni*

modo

modo æstimat prohibendos : si quæ sunt inventa, quasi sua sumere licet.

Alter abusus, quo de nonnihil jamjam paulo ante attigimus, est : si libri moribus honestis periculosi juventuti in manus tradantur, qui vitia eidem varia, & præcipue obscœnitates inspirant. Horum enim lectio corrumpit imaginationem, imaginatio corrupta universum sæpe animum pectusque inquinat. Obvenire sane aliquando peculiares possunt occasiones, quibus ætatis adultæ viri quâdam velut necessitate ad lectionem ejusmodi librorum cogantur, de quibus tamen non est, quod corruptionem mentis ex ista lectione timeas : interim ab eâ, quantum fieri potest, abstinendum, eaque nunquam admittenda, nisi gravissima urserit ratio.

Tertius, quem vitabis, abusus in eo consistit, quando auctores gentiles nimium admiramur, eorumque opiniones ex tripode quasi dicta suspicimus. Turpe dictu, dari christianos, qui ethicam gentilem & christianam inter se comparant, & nescio quam mysteriorum Evangelicorum cum paganis convenientiam & æqualitatem invenire conantur.

Quartus abusus est, quando opinionibus unius Philosophi impensius inhærendo, is controversiarum religionis velut judex & arbiter agnoscitur, tanquam auctoritate præditus infallibili, ejusque testimonium non solum S. Patribus, sed ipsis interdum Sacræ Scripturæ locis præfertur, vel opponitur ; horribili cœcitate ! quæ per multa hactenus tempora scholas doctrinæ

Aristo-

Ariſtotelicæ penitus devotas, mancipatasque, faſcinavit. Antiqui nobis ſapientiores & prudentiores, omnes philoſophos legebant, quicquid mali erat, rejiciebant, quod boni illic obveniebat, in uſum ſuum trahebant: neque Platonici, neque Peripatetici, neque Stoici, neque alii ſectæ in totum addicti erant, ſed quod ex omnibus ipſis videbatur optimum eligebant, ut S. Clemens Alexandrinus nos docet. Quemadmodum autem Plato præ reliquis omnibus philoſophis de DEO præclariſſime loquitur, ejusque doctrina morum puriſſima, maximeque ſublimiùs ſurgit, ita principem ei locum libere conceſſerunt Patres: inſimul tamen minime dubitarunt, partes ejus, ubi de veritatis via declinaverat, deſerere, immo graviter eum virgulâ cenſoriâ notare; hocque eum in finem, ut oſtenderent, quam multis paraſangis doctrina morumque inſtitutio è ſacris literis hauſta philoſophorum dogmata ſuperet. Conferendus hâc de re S. Chryſoſtomus Commentar. in Matth. & Auguſtinus Lib. VIII. de civit. DEI. Ariſtotelem autem quod attinet, reliquis omnibus philoſophis ille ab antiquis Chriſtianis contemtior habitus, longeque poſtpoſitus fuit: atque ex hoc capite inprimis, Beſſario Marci Epheſini ſententiam impugnavit, qui contendebat, Ariſtotelis placita religioni chriſtianæ magis eſſe conſentanea quam Platonis.

Interea Ariſtoteles tractu temporis, obicem multis licet ponentibus, ad regni ſcholaſtici dignitatem ſenſim pervenit. Libri quidem ejus metaphyſici atque phyſici Conſtantinopoli noviter adportati, in

Con-

Concilio anno 1209. Parisiis habito damnati, atque igni traditi sunt, eorumque lectio sub excommunicationis fulmine prohibita. Interdictum hoc paulo post per Legatum papalem, qui in reformandâ Academia laboravit, circa annum 1215. confirmatum fuit, nisi quod dialecticam tamen hujus philosophi publice doceri permisit. Porro Gregorius IX. interdictum idem anno 1231. renovavit, addidit tamen, lectionem librorum Aristotelis tamdiu modo se prohibere, donec correcti fuerint. Rursus anno 1265. Simon Apostolicæ sedis Legatus in reformatione Academiæ edictum, libros Aristotelis spectans & anno 1215. factum, confirmavit, de correctione tamen eorum nullam faciens mentionem. Sed in reformatione Academica anni 1366. tam Physicorum, quam reliquorum ejusdem auctoris librorum lectio fuit concessa. Inde in libello reformationis Academiæ, qui jussu Cardinalis Estutenvillæi 1452. confectus est, lectio & studium librorum Aristotelis, & imprimis ejus ethica commendata fuit, nulla tamen librorum 8. physicorum, quorum lectionem Gregorius IX. interdixerat, facta mentione. Post id tempus Aristotelis libri in Academia Parisiensi magnam opinionem & auctoritatem adepti sunt, adeo ut non solum Philosophi, sed & ipsi quoque Theologi honorifice eos allegaverint, inque auctoritate eorum velut cœci adquieverint: usque dum tandem deponi paulisper cœpit ista persuasio pedetentim, ac non solum theologi, sed etiam philosophi deprehenderunt, in suâ potestate

positum

positum esse, ab Aristotelis sententiis discedere, auctoritatemque ejus rejicere. Nulla mihi cum philosophis hic res est, quod autem theologiam concernit, affirmare possum, intolerabilem fore abusum in statuta Aristotelis cœco impetu ferri, eumque ita allegare, (ut quidam fecerunt) ac si infallibilis auctoritatis Vir esset; ejusque dogmata velut divina Sacræ Scripturæ oracula acceptare. Exploratæ veritatis est, perplures Sententias maxime perniciosas philosophum hunc de æternitate mundi, de providentia, de mortalitate animæ, de natura & essentia Divina, &c. fovisse, ejusque principia non ita sublimia, veræque religioni conformia ut Platonis esse. Sed finge aliter hæc se habere, quám, quæso, auctoritatem gentilis philosophus assertis suis ad probanda mysteria, quæ neque cognovit neq; cognoscere potuit, vindicare potest? allegetur ille, ubi id agitur, ut axiomata sanæ rationi congrua confirmentur, quando ita fert occasio; modo infallibilitatis titulus ei non deferatur: sed ut loca quædam ex ipsius libris deprompta ad instar argumentorum infallibilium in nostris Mysteriis usurpentur, id sine aliquâ profanationis specie fieri nequit.

CAPUT

CAPUT IV.

De auctoritate Theologorum Scholasticorum, Academiarum, Facultatum, Canonistarum & Casuistarum in Religionis dogmatibus.

THeologorum scholasticorum auctoritas de rebus theologicis certe gravior est, quam philosophorum, quia doctrina ecclesiæ, Sacræ Scripturæ sensu, Patrumque opinionibus melius instructi esse debent, quam de communi grege laici, utpote quorum id studium præcipuum & professio requirit. Nihilominus fatendum, Theologiam ipsorum cum illâ, quæ è Sanctis Patribus hauritur, ob multas rationes haud esse comparandam.

1°. Quoniam scholastici, quippe qui ultimis demum surrexere temporibus, doctrinæ veteris ecclesiæ testes esse non possunt, sicut Patres, qui seculis ætati Apostolorum multo propioribus vixerunt.

2°. Quia Theologi scholastici non sunt Traditionis sequestri; siquidem omni tempore Episcopi & Pastores extiterunt, per quos, velut per canales doctrina Domini nostri JEsu Christi ad populos emanavit, vetusque traditio in ecclesia fuit conservata.

3°. Quia Theologis tanquam Theologis nulla competit jurisdictio, nulla auctoritas de doctrina judicandi, & ut decisiones eorum sequan-

 tur

tur chtistianos adigendi ; id tantum in eorum potestate est, mentem suam aperire, suumque de quæstionibus sensum & placita proferre, quinimo, integræ etiam facultates theologicæ non plùs possunt, quam judicium tantum doctrinale.

4°. Quia theologi illi non solum Ecclesiæ doctrinæ, fideique dogmatibus inhærent, sed infinitas alias quæstiones problematicas agitant, de quibus ipsi conveniunt, sententiarum suarum defertionem liberam esse.

5°. Quia permulti sunt theologi, qui suas opiniones nec Sacrâ Scripturâ nec Traditione, sed rationibus crebrò frivolis ac ficulneis, auctoritateque philosophorum inani fulserunt. Sunt, qui vel nullum ex Sacrâ Scripturâ locum allegant, vel allegatis abs sese dictis sacris vim inferunt. Alii nec canones Conciliorumque decisiones, nec opera Patrum in suis fontibus unquam lègerunt, sed satis putarunt, fragmenta ex Lombardo atque Gratiano collecta quandoque, licet & hoc perrarò, in medium proferre. Allegationes è contrario ex Aristotele, ejusque commentariis in eorum operibus ubivis occurrunt, ratioque philosophica conclusionis plerumque fundamentum est. Quapropter placita horum Theologorum circa religionem non majoris utique ponderis sunt, ac Mathematici alicujus parum sani in rebus mathematicis, qui problemata geometrica per morales sive politicas rationes solvere vellet.

Quum autem non omnes Theologi hujus indolis sint, sed inter illos vicissim existant, qui suas sententias solidis fundamentis superstruunt,

qui

qui *Sacræ Scripturæ* & antiquitati ecclesiasticæ operam navarunt, quique in religionis dogmatibus præ simplici fidelium grege, minorumque gentium pastoribus magnâ rerum cœlestium notitia atque præclaro judicio pollent; hinc negari non debet, horum quoque instructionem ponderis esse alicujus, cui nonnunquam ut accedatur, par est. Sed ut sciamus, quo usque assensus iste sit extendendus, qualisque illorum auctoritas, observationes quædam sunt addendæ.

1°. Nullius theologi, utcunque docti ac perspicacis sententia pro certa & infallibili indicio haberi debet veritatis aut opinionis, quam tuetur: nam si secundum Augustinum nemo tenetur, cujusdam ecclesiæ Patris licet vetustissimi, pietateque pariter ac doctrinâ clarissimi opinionem cœco impetu amplecti, multo minus tenetur quisquam, theologi moderni, celebris alioquin & eruditi viri, placitis invitus subscribere. Ex eo enim ipso, quod sententiis unius auctoris magno partium studio accessum olim est, tot disputationes, tenacesque altercationes cum frequenti pietatis læsione in scholis & ecclesiis ortæ sunt. Hinc sectarum, Thomistarum, Scotistarum, & Occamistarum nomina. Ab hoc denique cœco partium studio vinculisque dum se liberare nesciunt, Theologorum quidam incitantur, ut, quas ipsi pro veris non habent opiniones, pertinaciter defendant; alii autem impediantur, quo minus veritatem æquâ trutinâ examinent, agnoscantque.

2°. Opinio, quam magnus Theologorum numerus defendit, quibus autem alii, licet numero

minores contradicunt, non ſemper eſt adprobanda, quia contingere poteſt, ut maximus Theologorum numerus decipiatur, illi autem, qui numero minores exiſtunt, doctiores ſint, veritatique propius accedant & ſolidiorem teneant opinionem.

3°. Communis ſcholaſticorum unius ævi ſententia haud ſemper ad inſtar certæ regulæ eſt, hanc vel illam doctrinam vera tradere, quia opiniones deprehendimus, certis temporibus ab omnibus ſcholaſticis traditas, quas tamen exercitatiſſimi Theologi poſtea rejecerunt; ſic e. g. tritiſſima opinio de neceſſitate intentionis internæ, quam miniſter in adminiſtratione ſacramentorum habere debeat, ex quo Cajetanus eam impugnavit, ab eruditiſſimis Theologis rejecta fuit: ſicut communis, quæ Concilii Florentini tempore viguit ſententia: quod porrectio inſtrumentorum ceu eſſentialis ordinum ſacrorum requiratur, unica diu diſputandi materia in ſcholis fuit, quamvis impræſentiarum eruditiſſimi Theologi ſolam manuum impoſitionem ad formam & eſſentiam ordinationis pertinere ſint perſuaſiſſimi.

4°. Communis omnium Theologorum ſententia, ex quâ Theologia ſcholaſtica initium cœpit ad noſtra uſque tempora, non ſemper infallibile veritatis eſt criterium, etiamſi ab eâ ſine ratione recedendum non ſit, tunc autem legitima recedendi ratio eſt, quando communis ſcholaſticorum doctrina cum ſententiis Patrum minus congruit.

5°. Nullus tenetur, eis ſententiis, quas ſcholaſtici ut opiniones, non vero ut fidei veritates produnt, calculum ſuum adjicere, cum enim ipſi fatean-

ſateantur, ejusmodi ſententias non niſi opiniones problematicas eſſe, concedant etiam neceſſe eſt, contrarium absque erroris crimine defendi poſſe. Idem quoque pronunciandum de quæſtionibus, quæ neque *Sacræ Scripturæ*, neque Traditionis teſtimoniis fundari poſſunt. Evidens eſt, ejusmodi quæſtiones ad philoſophiam magis, quam ad theologiam pertinere, nullamque ex eis fidei veritatem formari poſſe, quia *Sacra Scriptura* & Traditio ſola ſunt principia, quibus veritates illæ, ſunt confirmatæ. „ Id ergo tenendum, inquit „ Melch. Canus, ſupra jam à nobis laudatus, Lib. „ VIII. c. 5. loc. theol. ſcholaſticas opiniones opor- „ tere à decretis ſejungi, fideique quæſtiones „ ab his, quæ modo huc, modo illuc transferun- „ tur, & ſine pietatis jactura poſſunt in utram- „ que partem diſputari. Decreta veterum arcte „ tenere debemus, accurateque defendere, opi- „ niones non item, ſed cum academiæ aut cum „ chriſtianæ modeſtiæ temperamento &c. „

Si Theologorum ſeparatim ſcribentium ſententiæ, cujusdam ſunt momenti, illæ ſane plurium Theologorum in unum coëuntium, unam ſcilicet vel plures res theologicas inter ſe conferentium, poſtque maturam deliberationem judicium de illis ferentium multo majoris ponderis & auctoritatis eſſe debent. Nam dum in congregationibus his viri permulti eruditione clari, nullique parti addicti, rationes ſuas ad inveniendam veritatem conjungunt, propoſitiones ipſis oblatas omni accuratione, quâque fieri dexteritate poteſt, diſcutiunt, & quæque ex abundanti

antiquitatis gazophylacio quisque depromsit, ad explanandam quæstionem afferunt, judicium eorum errori minus est obnoxium, quam judicium uniûs Theologi seorsim spectati, qui suas tantum cognitiones sequitur. Per plures eruditos viros eruta veritas plerunque magis est evidens, quam quæ â privato unico homine privato instinctu excogitara fuit. Si quis sui ipsiùs præjudicium fovet; propositionem falsissimam pro vera sæpius venditat, si solus operi manum admovet, præjudicio suo inhæret, semperque falsum pro vero accipit; cum è contrario, ubi cum aliis cogitata sua confert, qui nullum fovent præjudicium, illi ipsius errorem protinus detegunt, ipsumque à suo liberant præjudicio. Et, dum sunt plures, quod alii excidit, in promtu alii est, vixque fieri potest, ut plures exercitati Theologi, qui rem aliquam attente examinant, & quicquid in hanc vel illam partem dici potest, ad sanctuarii trutinam dijudicant, veritatem non eruant. Postquam igitur Facultates Theologicæ, quæ exercitatissimis constabant Theologis, sunt erectæ, judicatum semper fuit, eas in congressibus suis doctrinale de rebus theologicis judicium ferre, censoriâque notare virgulâ errores valere. Jus hoc est earundem, quod semper inde à prima sui erectione possederunt: quippe quod ecclesia ipsis concessit, quod Papæ & Principes confirmarunt, quodque nemo ambiguum ipsis atque dubium cum ratione reddere potest. Nulla unquam hæresis exorta, nullus error disseminatus, neque contentiones ac dissentiones cujusdam momenti in Ecclesia agitatæ fuerunt,

runt, de quibus illæ non adhiberentur in consilium: tum vero magnâ semper in autoritate habitæ sunt, plurimumque decisionibus eorum fuit delatum. Imprimis Academia Parisiensis præ reliquis omnibus magnam sibi famam & auctoritatem conciliavit, cujus censuræ timorem pariter ac reverentiam omnibus injecerunt, idque non solum in Gallia, sed & per totam Europam, adeo ut isti, qui auctoritatem ipsius parvi penderent, vulgo pro temerariis ac contumacibus semper haberentur: Equidem hæc non ita intellecta cupimus, ut Parisiensis vel ulla alia Facultas Theologica pro infallibili habeatur: siquidem in vulgus notum est, privilegium hoc nonnisi ecclesiæ universali, aut concilio generali, repræsentanti eam, competere; at licet hæ infallibiles non sint, magnâ tamen in ecclesia auctoritate pollere nunquam desinunt. Facultatibus, ut doctissimus Jo. Gerson ait, non ea data est potestas, ut decretorium in morem, & pro auctoritate de doctrinâ judicent, immorigerosque pœnâ adficiant, sed ut judicium ferant doctrinale: quod tamen magnæ consequentiæ res est, imprimis ubi facultates magno membrorum eruditorum numero constant, ubi studia florent egregiisque ejusmodi exornatæ sunt doctoribus, quos Gerson sequentibus describit verbis: *Doctores non partiales, non seductos, non fastuosos, quæstuosos aut invidos, non potestate seculari, non spirituali plusquam veritati faventes.* Cortra, cujus quæso poterit autoritatis esse judicium Facultatis Theologicæ, quæ constat è doctoribus paucis, iisque omnibus devotis Societati certæ, quæ

& partem ejus majorem efficit? Aut quod pondus sententiæ ab congregatione tali latæ, in qua licitum omnino non est unicuique ferre suffragium, prout videtur?

Canonistarum auctoritas nec in rebus fidei negligenda esset, si veteribus conciliis, in quibus fidei nostræ articuli descripti ac definiti sunt, studium & laborem impenderent: sed quia pars illorum multo maxima novo juri & decretalium lectioni plerunque addicti sunt, quæstiones autem, quæ dogmata concernunt intacta relinquunt, in iisque tantum, quæ mores & disciplinas spectant, desudant, parum utilitatis ad confirmandas doctrinas ab eorum operum lectione exspectari potest; quamvis illi, qui istas materias curate tractarunt, reformandæ disciplinæ ecclesiasticæ magno sint adminiculo. Casuistarum volumina ad cognoscendam dogmatum veritatem minorem adhuc usum præbent: nam etsi doctrina morum non exiguam doctrinæ christianæ partem conficiat, astamen illi, qui principia atque regulas suas morales ex Sacrâ Scripturâ & Traditione deducere, edocti non sunt, sed quoad maximam partem nihil aliud fecerunt, quam ut speciales casus resolverent, per rationes & ad fines nimium ancipites & plane tales, quæ ipsos in errores & intolerabiles conniventias ab ecclesiis jure meritoque damnatas præcipitarunt; hinc auctoritas illorum nullius est pretii, & unde commodi quidquam trahas, in eorum operibus perpauca offendes.

CAPUT

CAPUT V.

De necessariis dispositionibus ad Theologiæ studium requisitis.

AD cujusvis generis scientias & artes consequendas duæ res absolutæ sunt necessitatis. Ingenium ejus, qui erudiri cupit, & specialis dispositio indolis, quam ut doctrinæ sive artis capax sit, habere debet. Ceterum non eadem est ratio Theologiæ cum Poësi vel Rhetoricâ, ad quas facultates homo natus i. e. à naturâ formatus sit oportet: Nam, si natura maxime id efficit, quilibet Theologus fieri potest. At enim vero non facit natura Theologum, sed adplicatio atque studium Sacræ Scripturæ & Traditionis. Omnes ingenii vires, omnes meditationes, omnesque humanæ mentis sibi soli relictæ considerationes ad scientiam verè theologicam pervenire nunquam poterunt: Interim tamen, quemadmodum omnes reliquæ scientiæ ab illis, qui ediscere eas cupiunt, certas dispositiones & præparationes requirunt, quarum defectu in studiis suis nunquam proficiunt quidquam; sic Theologia quoque ab iis, qui ad eam adspirant, dispositiones nonnullas postulat, quorum absentiâ boni quidem christiani esse possint, exercitati autem Theologi nunquam evasuri. Dispositiones hæ sunto 1°. in ipsa indole & ingenio. 2°. In corde, sive intimo mentis, 3°. in proba educatione, 4°. in cognitionibus ad Theologiam funditus hauriendam necessariis, 5°. in fine, quem sibi præfigat. Ad indolem ingeniumque,

quod attinet, ſanum & limatum ſubjecto inſit judicium, quod diſcernere ſciat verum à falſo, Religionem à ſuperſtitione, auctoritatem, cui fides debetur, ab illuſionibus, genuinam pietatem ab infucata, veritatem à mendaciis. Pingue ingenium, quod ſiniſtre judicat, quod ſuperſtitioni deditum, quod credulum, quod fatuis ſubdolæ rationis ignibus facile ſeducitur, ut bonum procreet Theologum, aptum eſt minime.

Cor quale? Si requiras; Theologiæ Studioſus Religionem atque veritatem ſuper omnia diligat, ut nihil eum dimoveat, ut paratus ſit pro ejus defenſione quicquid poſſidet, amittere, omnia perferre, nulla proprii aut alterius cujusque, quod intereſt, ſequior intentio, nullus animi affectus à ſententia pro bona cauſſa ſuſcepta eum dejiciat, illecebris & deliciis mundanis ultimum omnino Vale dicat, nulli præter DEUM placere cupiat, præter præcepta ejus nihil quærat, & perfecto Eum cultu honorare omni contentione nitatur. Contra, remiſſi atque timidi animi, ubi veritas erat defendenda; homines, inquam, illi, quos aut ambitio cœca, aut inſanum privati commodi ſtudium rapit, ad partem potentiorem in ſentiendo ſequendam proni, tum faciles ad ſequenda principia regulasque, quæ ſunt de tempore, ad defendendas propoſitiones Theologiæ commodioris: illi denique, quorum animus corruptus, vitiisque imbutus & mancipatus eſt, ad Græcas demum Calendas boni Theologi officium adimplebunt. Quamcunque ſpeculativam ſibi comparaverint ſcientiam, eorum tamen corruptio

cordis

cordis violento vel incitato passu transversum eos agit, mentemque in gravissimos novosque indies errores inducit.

Hinc prima regula, quam in educatione puerorum studio theologico destinatorum præscribere sibi debent, hæc est, ut pectora eorum ad bonum emolliantur, mores formentur & emendentur, verique christiani efficiantur; hoc est fundamentum, cui theologicum ædificium superstruendum est; ita nempe institui debent, *ut bonos prius christianos, quam Theologos sese exhibeant.*

Ubi ad hanc mentem sacram perducti sunt, ut studii theologici capaces reddantur, ante omnia doctrinâ, ut vocant, catecheticâ sunt erudiendi; Hæc enim utique vera est Theologia, quam à primis ac tenerrimis annis familiarem reddere oportet. Hæc unica Theologia, quam primi Catechetæ Christianorum, hoc est Apostoli suis discipulis, & antiqui Patres Christianis cum simplicitate tradebant. Catechismus hic paucis verbis Religionis compendium complectitur, neque universa Theologia in alio quoquam consistit, nisi ut quæ continet ille, Mysteria docet eruere aut enucleare, fulcire atque defendere. Absoluta hâc instructione, pueri à teneris jam unguiculis, atque illi præcipue, quos Ordini Ecclesiastico destinatos volumus, Veteris & Novi Testamenti historiam sunt docendi; prima ac præcipua hæc est scientia, quâ illi imbui debent. Opus non est, ut moneamus in eadem annorum teneritudine legendi & scribendi peritiam illis infundendam esse; quam ubi nesciunt, Theologi nullo modo fieri possunt. Succedat Latinæ

tinæ linguæ ſtudium, quâ ſine nec mediocris Theologiæ ſcientia comparari poteſt: Græca lingua magis etiam neceſſaria eſt, ad Theologiam perfectius imbibendam. Nec elegantiores literæ & hiſtoriæ ſtudium negligenda, quippæ quæ à futuro Theologo, indiſpenſabili fere neceſſitate, requiruntur. Quod ad Philoſophiam ſpectat, cum ſatis jam evicerimus, quantam ejus utilitatem in Theologia polliceri tibi queas, opus non eſt, ut hîc repetamus: unicum hoc ſaltem addemus, Theologiæ conſecraneos non diu nimis, pro antiquo more, detinendos in vulgari ſcholarum philoſophia ediſcenda, ſed ſanis modo principiis Metaphyſicæ, Logicæ atque Ethicæ imbuendos eſſe. Philoſophiam equidem, quam ſcholæ tradunt, calleant neceſſe eſt, ſed mentem ad intelligendas metaphyſicas & morales veritates altius elevare, notitiasque ſibi multo ſublimiores atque utiliores comparare debent. Hæc inter profana ſtudia negligenda minime ſunt, quæ Theologiæ viam directè pandunt: atque hic Sacræ Scripturæ ſtudium primum atque principem locum tenet. Sunt ſane enim adigendi ad lectionem Librorum Veteris & Novi Teſtamenti, & ut ita loquar, ad familiare eorundem conſortium ſibi comparandum, ut, ubi omnia ſua ſtudia in Theologiam conferre incipiunt, generalem jam de Religione ideam habeant. Bonum eſſet, prius ipſis Prolegomena dare, quam ad ipſam librorum ſacrorum lectionem admittantur, ex quibus cognoſcere poſſint numerum, diviſionem, & auctores ſacri Codicis, quæque eos de præcipuis

in

in Sacræ Scripturæ quæstionibus instruerent. Primo omnium illi Veteris & Novi Testamenti textum cum adplicatione, non interruptâ serie legant, conjunctis & collatis insimul melioris notæ commentariis latinis, qui difficultatibus obvenientibus lucem affundant, verumque Sacræ Scripturæ sensum commonstrent.

Hæ sunt dispositiones proximæ, studiosoque Theologiæ pernecessariæ. Sed ante omnia verum sibi finem in hoc studio præfixum habeat, hic ubi deest, nullo sibi emolumento Theologia ad alteram vitam erit, inque periculosissimos hujus mundi scopulos allidetur. Finis hic alius esse non debet, quam æterna salus, quæ nullo modo obtineri potest, nisi æternam veritatem doceat, defendatque, nisi Religionem in sua puritate conservet, errores oppugnet, ignorantes erudiat, seductos ad veritatis semitas reducat: omnis alia intentio coram DEO damnabilis, in conspectu autem hominum infamis est. „ Nihil prodest, „ inquit S. Bernardus, multa scire, si nullus ex „ scientia fructus & utilitas, quæ merito exinde „ resultare deberet, percipi potest. Nihil scitur, „ ubi legitimus in scientia finis, ordo atque affe- „ ctus nesciuntur. Ratione ordinis prima scientia „ ea sit, quæ promtissimę ad salutem nos deducit. „ Ad affectus quod attinet, hi ad amorem DEI „ ardentissime nos instigare debent, & quod finem „ spectat, is nec vanam gloriam, nec curiositatem „ vel hujusscemodi quid, sed nostram atque pro- „ ximi ædificationem intendere debet. *Sunt, qui* „ *scire cupiunt, ne quid ignorent, & turpis curiositas* „

„ *est,*

„ *est. Sunt, qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi, atque hæc turpis eſt vanitas. Et ſunt itidem, qui ſcire ſatagunt, ut ſcientiam ſuam vendant pro pecuniâ, pro honoribus, & turpis eſt quæſtus. Sed ſunt, qui ſcire contendunt, ut inſtruant, hoc vero caritatis opus eſt Et item, qui ſcire volunt, ut ædificentur, & prudentia eſt. Soli ultimi duo,* „ addit laudatus Pater, *non inveniuntur in abuſione ſcientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant.*

CAPUT VI.

De ſtudii Theologici initiis.

PErmagni ſemper in quibusvis actionibus atque conatibus momenti intereſt, bene rem ordiri, hinc Poëtarum aliquis non ſine ratione cecinit:

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

Qui Theologus evadere vult, ubi notitias modo nominatas benecallet, præcipuam Sacræ Scripturæ operam det, Scriptura enim Theologiæ fundamentum eſt. Hoc ut obtineat, non ſolum Latinæ ſed etiam Græcæ, Hebraicæque linguæ ad intelligentiam ſacri textus maxime neceſſariæ, peritus ſit oportet. Utinam juvenes harum linguarum notitiam ante tenerent, quam ad theologica ſtudia ſe conferrent, vel minimum in ſtudii theologici curſu eas addiſcerent. Præſupponimus inſuper, ut futurus Theologus alias excolat ſcientias, ut ſtilum ſibi, mediocrem ſaltem efformet,

ut

ut curate loqui, ſcribere, atque judicare addiſcat, ut Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ atque Profanæ delineationem ſibi faciat, & idoneam Chronologiæ atque Geographiæ cognitionem teneat, ne circa tempora & loca turpiter, ut quandoque fit, hallucinetur.

Communis ſcholarum uſus fert, ut tractatus in Summam S. Thomæ ſtudioſis legendi tradantur, quod ſtudii genus vel magis vel minus utile eſt, prouti diſcentium ingenium ſe habet; plerumque tamen diſcipuli eos non aliter volutant, quam ut legi, cui adſtringuntur, faciant ſatis: & deinceps non ſine ratione privato ſtudio ex aliis, ut lubet, proficiunt. Meo ſi res committeretur arbitrio, regulam ipſis præſcribendi ſuaderem; ut Magiſtrum ſententiarum, quem aliàs in noſtris Scholis terebant, manibus volverent, unumque & alterum meliorum in opera illius commentatorum in auxilium vocarent, quos inter ego quidem Eſtio nullum novi præſtantiorem. Maldonatus quoque in articulo de Sacramentis conferri meretur; multum quoque ad ἀκρίβειαν theologicam conduceret, ſi peculiares inſimul de quâvis materia tractatus ſedulo perluſtrarent: inde neceſſe eſt, ut animum atque ſtudia ad Religionis Hiſtoriam conferant, ut ad hiſtoriam Veteris Teſtamenti animum adplicent, eamque cum profanâ concilient; ut hiſtoriam de ortu & progreſſu Chriſtianismi ſub Imperatoribus Gentilibus, & poſt eos, Chriſtianis, familiarem ſibi reddant; ut diſputationes de noſtris Myſteriis obortas excutiant: ut Patrum volumina, qui Myſteria iſta explicarunt atque defenderunt, haud leviter pervo-

lent;

lent; ut Hæreticos Patrum aggressores, Conciliorumque decisiones probe noscant; ut universalem sibi de disciplinâ antiquæ Ecclesiæ, deque mutationibus in eâ factis ideam forment; ut denique principiis atque regulis christianæ morum doctrinæ bene se muniant. Hæc inchoantibus, & illis, qui Theologiam non ab imo, quod ajunt, fundo percallere cupiunt, sufficient; at illi, qui in Theologiæ adyta penetrare desiderant, studia longè exactiora adhibeant oportet.

CAPUT VII.

De Theologiæ studio, quo quis ad consummatam Theologiæ perfectionem enitatur.

THeologiæ studium tam amplum atque vastum est, tum res ibi ventilatæ tam variæ atque prolixæ, numerusque librorum theologicorum tam ingens, ut nulla vel ullius hominis vita, quam longa demum fuerit, nullumque studium, diligentia nulla, quantamcunque aliquis adhibuerit, sufficiat, non dicam rebus singulis è fundo exhauriendis librisque omnibus accurate perlegendis (hoc enim meræ impossibilitatis foret) sed materiis tantum omnibus rite degustandis, variisque tractatibus pervolvendis, nisi ideam studii in compendium redacti sibi quis formaret, selectumque præcipuorum meliorumque operum de singulis capitibus vel materiis institue-

ſtitueret ; neglectis his adminiculis, magnopere verendum, ne in addiſcendis rebus minus utilibus, legendisque multis operibus macilentis magnam temporis jacturam faciamus.

Permultis hoc evenit, qui vel manuductione deſtituti, vel ex defectu judicii errantes non exiguam vitæ ſuæ partem in operoſâ earum rerum cognitione conſumunt, quæ nec ſibi, nec aliis inſerviunt. Quam multi dantur eorum, qui magnum temporis ſpatium in terendis ſcholaſticis obſcuriſſimis & ſubtiliſſimis turpiter perdunt, ſacras verò literas atque Patres nunquam ſcrutantur? quem uſum ab hoc labore percipiunt, niſi quod cerebrum infinitis quæſtionibus metaphyſicis adimplent, quæ ne hilum quidem vel emendandæ vitæ, vel defendendæ religioni proſunt? alii cum regulas atque principia doctrinæ moralis ex limpidis Evangelii, Traditionis, bonorumque Caſuiſtarum fontibus haurire deberent, nonniſi ad limoſas corruptorum ac elumbium Moraliſtarum lacunas confugiunt. Sunt, qui lectioni jejunorum Controverſiſtarum, quos vocant, unicæ inhærent, eorum videlicet, qui, tametſi fundamenta Religionis ignorant ipſi, tamen ad veritates defendendas male feſtinant, quibus multo fuerat conſultius humili ſimplicitate credere & ſilere. Videmus ex Concionatoribus non paucos, quorum labor parum omnino unquam proficit: eo, quod neglectis, quos imitentur, auctoribus præcipuis, & è quibus hauriri pulcra decebat, nihil legerunt niſi jejunos ſolum hominum ineptorum ſermones, aut proletaria neſcio, quæ moralis doctrinæ collectanea.

ctanea. Sunt, qui historiam ecclesiasticam non aliam callent, præter *Legendarum* compilatores & qui sine ullo critices sensu memoriam onerant farragine relationum fabulosarum, quibus eandem tamen, quam ipsi Evangelio fidem tribuunt. Sunt, qui unice addicti Mysticæ Theologiæ, dum aliam ignorant, futilissima in hoc genere opera summo in pretio habent, admiranturque, immo totam vitam suam in eorum lectione atque meditatione consumunt. Omitto nunc illos, qui insano erga libros hæreticos atque perniciosos amore ita feruntur, ut nihil aliud, ordinaria lectione volvant. Id moneo, confusionem, quam in studiorum cursu, nullo servato ordine, multi produnt, sæpenumero in causa esse, quare nullum inde usum percipiant, cum è contrario methodus, ordo, atque connexio rerum & auctorum multum ad progressum in scientiis, ad ideas adæquatas, claras, atque distinctas, & ad fidam memoriam conferant. Eaque propter nunquam nimis caute, maxime in Theologia procedi poterit, in studiis ritè dirigendis, & instituendo auctorum debito selectu. Verum, non sane minus difficile, quam necessarium istud est; & ut via ineunda sternatur, ut methodus studiorum justa & adæquata formetur, utque selectus instituatur, auctorum optimi census absque vitio, magnum amplumque ingenium, profunda scientia, subactissimumque requiritur judicium. Præterea per est difficile, omnibus hac in re placere, quia opiniones hominum diversæ; eorumque judicia maxime sunt contraria. Varietas denique ingeniorum, inclinationum, officiorum

ciorum tam grandis est, ut fermè impossibile sit, studiorum horum ideam sistere, quæ omnibus arrideat, eorumque palato rectè sapiat.

Caput VIII.

De Scripturæ Sacræ studio.

THeologus in Scripturæ Sacræ studium plus curæ atque diligentiæ conferre debet, quam in reliqua omnia. Illa namque non solum ad addiscendam Religionem, sed & formandos, emendandosque mores adjuvat. Ceterum si quis eam intelligere solide velit, cognitione, uti jam diximus, Hebraicæ, Græcæ & Latinæ linguarum opus ante omnia habet: accedat deinceps meditatio in verba textus, cum collatione Commentatorum. Porro requiritur, ut qui Sacram Scripturam intelligere solide cupiunt, imprimis veteres & novos Critices in Sacrum Codicem libros legant, Chronologiam & Geographiam Sacram addiscant. Sacram historiam, quæ in Divinis Scripturis continetur, cum Historiâ profanâ antiquâ jungant, ut textum originalem, diversasque lectiones exacte perlegant, & cum versionibus eas conferant. Ad manus sunto veteres & recentes Catholicorum atque Protestantium Commentatores, qui in explicandis literis sacris operam collocarunt: legant præterea, quæ de diversis Sacræ Scripturæ locis & quæstionibus agunt, dissertationes: examinent quasvis difficultates sibi oblatas,

atque ita quantum potis est, in obscurissimis sacrorum librorum locis verum sensum eruant.

Ceterum obscuritates & difficultates Scripturam hinc inde prementes, vel ex verbis oriuntur, vel ex rebus ipsis. 1°. Si verborum significatio in fontibus est æquivoca, vel non adeo certa. 2°. Si peculiares Hebraicæ aut Hellenisticæ linguæ idiotismi ceteris linguis haud communes occurrunt. 3°. Si terminorum constructio perplexa est, pluresque sensus sibi invicem contrarii emergunt. 4°. (*) Si vitia in textum irrepserunt, ejusque sensum depravarunt. 5°. Si diversa ejusdem Hebraici verbi pronunciatio vel punctatio significationem immutat, diversosque sensus parit. 6°. Si stilus propter figuras, metaphoras, allegorias in se obscurus est. Opera Poëtica, ubi figurarum usus frequentior, ob id ipsum quam alia intellectu sunt difficiliora. 7°. Quando auctor ab uno tempore ad aliud, ab una materia ad aliam, ab una persona ad aliam transit, suasq; cogitationes ad interserendas alias, aut altius evehendas, velut interrumpit. Transitiones ejusmodi peculiariter in Psalmis, Prophetarumque libris occurrunt, eosque sæpe turbant, qui hujuscemodi scribendi generi non sunt adsueti. Ex rebus ipsis obscuritas provenit, quando illa humanæ rationis captum, naturalesque cognitiones transcen-

(*) Hæc cum ex hypothesi sua suorumque loquatur auctor, caute legas velim, lector: Certe enim à corruptione sacrum textum contra Criticos audaciores præclare vindicant Buxtorfius, Glassius, Amama, ipse Simeon de Muis, Pontificius, aliique docti complures.

ſcendunt; qualia ſunt Chriſtianæ Religionis Myſteria. 2°. Quando ſenſus illarum ab incognitis plane rebus, vel quæ paucis admodum cognitæ ſunt, dependet. Sunt e. g. loca, quorum ſenſum nemo comprehendet, niſi è cerimoniis aliquam, aut conſuetudinem, quæ apud Judæos atque Syros tunc obtinuere, noverit: multa ſunt iſtiusmodi, quæ penitus latent, multa ſolâ patent conjecturâ, multaque nonniſi ſumma diligentia eruuntur. Hiſtoria ſacra obſcura reddita eſt, plenaque difficultatibus & contradictionibus apparentibus ob circumſtantias non penitus ubique expreſſas; quasque proin vel neſcimus, vel nonniſi difficillima operâ & diligentiâ invenimus; id quod fit e. g. per ignorantiam veri locorum ſitus, nominum provinciarum atque urbium, perque alias difficultates in Geographia antiqua occurrentes: item, dum Chronologia quoque nodos nectit, ubi vel Epochas cum Hiſtoria profana, vel adparentes in narratione contrarietates conciliare volueris. Occurrunt & aliæ difficultates ex ignorantia rerum permultarum aliarum, quarum cognitio ad perfectam ſenſûs Auctorum ſacrorum in quibusdam locis intelligentiam erat neceſſaria e. g. nomina & proprietates plantarum, & animalium, ponderum, menſurarum veterum, valor & pretium monetarum, artium, & profanarum ſcientiarum, conſuetudinum, regionum, incolarum, morum, eorumque legum atque Magiſtratuum, proverbiorum atque vulgarium in populis regulatum, ſectarum, & opinionum variarum tunc obtinentium &c. Harum omnium inquam rerum

vel ignorantia, vel ſtudium acre ad aliquid hujusmodi eruendum, plures Sacræ Scripturæ locos intellectu & explicatu difficiles reddunt, & ad Commentarios nos adigunt.

Ad ſuperandas has difficultates, Librorumque ſacrorum obſcuritatem tollendam obſ. 1°. Si vocabulum ebraicum eſt ambiguum, illam ſignificationem amplectere, quæ ſcopo ſermonis maximè quadret, & antiquis verſionibus ſit conveniens. 2°. Hebraicam atque Græcam Linguam bene calleas, ebræosque idiotiſmos familiares tibi reddas. 3°. Conſtructionem diligenter attendito, quæ ſenſum meliorem exhibet. 4°. Ubi conſpicies varias eſſe textus alicujus lectiones, eam ſeligas, quæ præ ceteris maximâ auctoritate gaudeat, & ubi textus de lectione dubius ſit corruptus ad antiquas verſiones, uti modo diximus, eum reformato. (*) 5°. Dantur quoque regulæ, ad difficultates, quæ vel ex unius verbi diverſâ punctatione oriri poſſunt, tollendas. 6°. Quæ ex allegoriis, metaphoris, aliisque librorum poëticorum figuris proveniunt difficultates, cum paulatim eisdem adſueveris, ſuperabis. 7°. Ubi ſemel monitus erit lector, extare frequentes in Prophetarum

(*) Hoc nimis temere profecto decretum, & omnino male. Quid enim? annon & peccant ſexcenties verſiones antiquæ? Annon ipſæ incertæ toties & corruptiſſimæ? Itane fons erit è rivo purgandus? Imo vero ſupereſt per DEI gratiam abunde ſubſidiorum ex hermenevtice ſacra criticæque ſanæ ac circumſpectæ Regulis; quorum ope cavebitur, ne quid damni capiat textus ſacer, neve inſuperabilis obſcuritas exiſtat.

tatum & Psalmorum libris transitiones unius temporis, subjecti, & personæ ad alteram, ipse circumspectum ad hæc ipsa animum adferet, perque res ipsas cognoscet, ubi auctor mutationem hanc commiserit.

Multo autem difficilius, majorisque laboris res est, obscuritates ex rebus ipsis surgentes tollere, easque præcipue, quæ ex profunditate & sublimitate mysteriorum fidei christianæ consurgunt. Certe nostrum non est, penetrare tam abdita, sed mens est tantummodo auctoritati divinæ devote subjicienda, quodque comprehendere nescimus, pie credendum firmiter persuasis, divinas res rationis humanæ captũ infinitis parasangis superare. Quod attinet obscuritates à notitiis humanis dependentes e. g. ab Historia, Chronologia, Geographia, Moribus atque gentium consuetudine, ab artibus atque scientiis; providendum, ut sedula hisce studiis opera impendatur, eo usque quantum ad intelligentiam Sacræ Scripturæ fuerit necessum, sed nimia in his rebus curiositas vitari debet, servatâ ubique modestiâ. Si in explicatione Sacræ Scripturæ necessum habemus, ad monumenta eruditionis profanæ confugere, & incidentes tractare quæstiones, intelligentiæ textui inservientes, faciendum id est sobrie, necessitate ad id urgente, nulloque modo rei cardo atque caput in eis ponendum; peccarunt hic nonnulli interpretes ultra modum improvide, qui occasione loci alicujus Sacræ Scripturæ quæstiones Geometricas, Geographicas, Chronologicas, Criticas sive Philologicas prolixis atque tædiosis ambagibus excusserunt: Interim

ſiquis ſolide doctus in Hiſtoriâ Sacrâ ante alios eſſe cupiverit, quique occurrentes in eâ difficultates tollere è fundo queat, non poterit non multum diligentiæ, curæ & laboris in Chronologiâ ſacrâ & profanâ, in cerimoniis, uſibus, moribus, legibus & conſuetudinibus Judæorum ponere.

Poſt hæc omnia tamen, fatendum tandem eſt, utcunque cautus ac circumſpectus hoc in negotio fueris, quantumvis curæ atque ſtudii adplicaveris, inſuperabiles tamen in Sacrâ Scripturâ obſcuritates & difficultates ſemper offendi, quæ maximum exercitatiſſimis quibusque interpretibus pariunt laborem. S. Auguſtinus egregie in ſua ad Voluſium centeſima trigeſima ſeptima epiſtola exequitur; ubi haud procul ab initio. (m. 3. edit. noviſſ. Pariſinæ) „Tanta eſt, inquit, Chriſtianarum „ profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia usque ad „ decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo „ ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere: non, „ quod ad ea, quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tanta in „ eis perveniatur difficultate: ſed, cum quisque „ ibi fidem tenuerit, ſine qua pie recteque non „ vivitur; tam multa, tamque multiplicibus my- „ ſteriorum umbraculis opacata intelligenda pro- „ ficientibus reſtant, tantaque non ſolum in ver- „ bis, quibus iſta dicta ſunt, verum etiam in re- „ bus, quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſa- „ pientiæ; ut annoſiſſimis, acutiſſimis, flagran- „ tiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod „ eadem Scriptura quodam loco habet; Cum „ conſummaverit homo, tum incipit.„ Eccl. 16. v. 6.

v. 6. Et rursus post aliquammulta n. 18. „Modus autem ipse dicendi, quo Sacra Scriptura con- „ texitur, quam omnibus accessibilis! quamvis „ paucissimis penetrabilis. Ea, quæ aperta con- „ tinet, quasi amicus familiaris sine fuco ad cor „ loquitur indoctorum atque doctorum: ea vero, „ quæ in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio su- „ perbo erigit, quo non audeat accedere mens „ tardiuscula & inerudita, quasi pauper ad divi- „ tem; sed invitat omnes humili sermone, quos „ non solum manifesta pascat, sed etiam secreta „ exerceat veritate, hoc in promtis, quod in „ reconditis habens. Sed, ne aperta fastidiren- „ tur, eadem rursus opera desiderantur, deside- „ rata quodammodo renovantur, renovata suavi- „ ter intimantur. His salubriter & prava corrigun- „ tur, & parva nutriuntur, & magna oblectan- „ tur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus est, „ animus, qui vel errando eam nescit esse salu- „ berrimam, vel odit ægrotando medicinam.„ Idem sanctus doctor simili plane ratione præclara quoque in Psalmum octavum hâc de re habet, merito hûc ponenda. „Per cœlos, quos „ Propheta opera digiti divini nominat, Scriptu- „ ras Sacras convenienter intelligere possumus, „ quas operante Spiritu Sancto per ministros suos „ DEUS conscripsit: Spiritus enim DEI digitus „ est, perque hunc spiritum Sacram Scripturam „ Veteris & Novi Testamenti nobis dedit. Incli- „ navit autem Scripturas DEus usque ad infantium „ & lactentium capacitatem, sicut in alio Psalmo „ canitur. *Et inclinavit cœlos & descendit*, & hoc „

„ fecit propter inimicos, qui per superbiam lo-
„ quacitatis inimici crucis Christi, etiam cum ali-
„ qua vera dicunt, parvulis tamen & lactantibus
„ prodesse non possunt.

Elegantius nihil est, quam quæ S. Gregorius in sua ad S. Leandrum Archiepiscopum Hispalensem Epistola cap. 4. hâc de re habet, cum Moralia sua in Jobum ipsi mitteret: „ Divinus
„ enim sermo, inquit, sicut in mysteriis prudentes
„ exercet, sic plerumque superficie simplices re-
„ fovet. Habet in publico, unde parvulos nu-
„ triat; servat in secreto, unde mentes sublimi-
„ um in admirationem suspendat. Quasi quidam
„ quippe est fluvius, ut ita dixerim, planus & al-
„ tus: in quo & agnus ambulet, & elephas na-
„ tet. Ut ergo uniuscujusque loci opportunitas
„ postulat, ita se per studium expositionis ordo
„ immutat, quatenus tanto verius sensum divinæ
„ locutionis inveniat quanto ut res quæquæ exe-
„ gerit, per causarum species alternant. „ Eandem
„ Sacræ Scripturæ utilitatem inpræfatione libri
„ vigesimi Moralium suorum, insequentibus his
„ graviter depingit: Quamvis omnem scientiam
„ atque doctrinam Scriptura Sacra sine aliqua com-
„ paratione transcendat: ut taceam quod vera
„ prædicat: quod ad cœlestem patriam vocat:
„ quod à terrenis desideriis ad superna amplecten-
„ da cor legentis immutat: quod dictis obscu-
„ rioribus exercet fortes: sed parvulis humili ser-
„ mone blanditur: quod nec sic clausa est, ut
„ pavesci debeat: nec sic patet, ut vilescat: quod
„ usu fastidium tollit: & tanto amplius diligitur,

„ quanto

quanto amplius meditatur: quod legentis animum „ humilibus verbis adjuvat: sublimibus sensibus le- „ vat: quod aliquo modo cum legentibus crescit: „ quod à rudibus lectoribus quasi recognoscitur, „ sed tamen doctis semper nova reperitur. Ut „ ergo de rerum pondere taceam; scientias tamen „ omnes atque doctrinas ipso etiam locutionis „ suæ more transcendit, quia uno eodemque ser- „ mone, dum narrat textum, prodit mysterium: „ & sic scit præterita dicere, ut eo ipso noverit „ futura prædicare, & non immutato dicendi or- „ dine eisdem ipsis sermonibus novit & anteacta „ describere, & agenda nunciare. „

Habet enimvero Scriptura Sacra plures sensus, literalem scilicet & mysticum, & hunc quidem comuniter in tres dividunt species, in allegoricum, tropologicum & anagogicum. Allegoricus Veteris Testamenti figuras Novo adplicat. Tropologicus sive moralis moralia ex actionibus in textu contentis eruit. Anagogicus tropologico vicinus præcipue altius elevatur, & æternam salutem respicit. Ex tribus his sensibus solus literalis probationi inservit, sed in sensu literali naturalis terminorum significatio, prout usus naturalis postulat, seu sensus literæ non semper est spectandus: sæpius enim in sensu metaphorico usurpantur illi e. g. in hac metaphora: *Vicit leo de tribu Juda:* Primus sensus respondet ideæ termini Leonis, at secundus sensus respondet illi conceptui, cujus gratia nomen leonis isto loco expressum fuit, scilicet de JEsu Christo, qui leo est, sensu terminorum remoto, & ad intentionem auctoris. Idem judicandum

candum est de parabolis & similitudinibus; sensum istæ continent historicum rebus gestis convenientem, & insimul alium quoque rei sub parabola sive similitudine intelligendæ congruum. Parobolæ sive similitudinis narratio rei explicandæ ita est adplicata, ut cognitu facile sit, loquentis finem non eò tendere, ut lector in hac subsistat, sed aliam longè rem subintelligat. Historia Epulonis atque Lazari duplicem habet sensum, historicum nempe, factum in se continentem, & moralem, doctrinam divitibus adprimè necessariam utilemque, ut erga pauperes misericordes sint, si pœnam inferorum evitare cœlique regnum olim possidere velint. Duo hi sensus pariter proprii sunt & naturales; primus secundi fundamentum est, & historia ita narratur, ut vel primo intuitu pateat, in primo sensu non esse subsistendum, aliudque longè sublimius JEsum Christum intendere voluisse, quam quod factum refert. Eadem prorsus ratio est parabolarum Samaritani, Filii prodigi, aliarumque; descriptionem illæ facti cujusdam verisimilis continent, & insimul alium sublimiorem sensum, quem iidem termini satis exprimunt: adplicari illæ ad relatum factum adpositè possunt, sed penitius si inspicias, aliam longè rem eas intendere, deprehendes. Idem judicandum de figurâ & re figuratâ: omnis enim figura, quum ad rem figuratam referri aut comparari debeat; elucet, ubi de figurâ verba fiunt, cum consideratur ut figura, rem simul, quam repræsentat, innui. Sic omne, quod dicitur, necessario duos habet proprios, & naturales sensus,

alterum

alterum figuræ, alterum rei figuratæ convenientem. Interdum figura clarius exprimitur, quam res figurata, at vicissim aliquando alibi ejusmodi termini studio eliguntur, qui rei magis figuratæ, quam figuræ conveniunt, ut cognoscatur, id quod dicitur, meram figuram esse, in eâque minime esse subsistendum. Vetus Testamentum Novi figura & umbra est, quicquid Ebreis evenit, illius figura fuit, quod JEsu Christo atque christianis accidere debuit. *Omnia in figura contingebant illis*, dicit Apostolus, 1. Cor. X. v. 11. veruntamen etsi præcipuæ personæ præcipuique Veteris Testamenti eventus figuræ sint, harum aliæ tamen rursus clariores sunt, aliæ minus claræ: sunt figuræ, quæ non secus ac historiæ scriptæ sunt, & quarum interpretatio est omissa; & sunt aliæ figuræ, quæ ita literis consignatæ sunt, ut clarè pateat, illas nonnisi figuras esse, quarumque narratio modo naturali, atque necessario rei sensum suggerat longe sublimiorem: tales pleræque sunt prophetiæ Veteris Testamenti JEsum Christum, Ejusque Ecclesiam concernentes: duos illæ sensus habere possunt, alium figuræ, alium rei figuratæ; posterior hic non est sensus arbitrarius, sed proprius & necessarius: quia termini ostendunt, auctoris intentionem esse, rem aliquam sublimiorem sub figura comprehendere e. g. ubi regnum Davidicum aut nuptiæ Salomonis terminis tam gravibus atque magnificis proponuntur, manifestum est, de rebus sublimioribus auctorem loqui voluisse, nempe de regno JEsu Christi Ejusque cum Ecclesia unione, cum quibus id, quod de regno Davi-

Davidico & Salomonis nuptiis dixit, perquam dextrè convenit. Horum ſenſuum prior literalis nominari poteſt, ſi per literam immediata terminorum ſignificatio intelligitur; alter dici poteſt ſpiritualis, ſi per ſpiritum ſignificationem innuas terminorum remotiorem, naturalem tamen & neceſſariam. Literæ ſenſus eſt, quem carnales Judæi Legi adſuerunt; ſpiritus ſenſus eſt, quem chriſtiani his terminis comprehendunt. S. Apoſt. Paulus terminos literæ & ſpiritus hoc modo ſumere videtur, ubi dicit: *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat*, II. Cor. III. v. 6. litera enim occidens non eſt in omnibus ſenſibus, quos habere poteſt, benè intellecta, ſed eſt litera malè intellecta, ad Judæorum mentem, ſi in figura ſubſiſtitur, neglectâ ad rem figuratam adtentione. Spiritus non eſt ſenſus allegoricus nullum in litera fundamentum habens, ſed eſt ſenſus gravis & ſublimis in literâ contentus. Hâc de cauſſa JEſus Chriſtus cum diſcipulis ſuis verba faciens dixit ipſis: *Quæ dixi vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Termini, quibus utebatur, naturaliter illud ſignificabant, quod dicere volebat; ſed Capernaitæ terminos hos male intelligentes, ſpiritum non capiebant. Si per ſenſum ſpiritualem intelligitur ſenſus arbitrarius, quique nullum reſpectum nec connexionem cum his terminis neceſſariam habet, ſique ſignificatio ſenſus literalis ad omnes ſenſus proprios & naturales extenditur, ſenſus quoque propheticus literalis dici poterit. Rabbini priorem ſenſum nominant *ſenſum juxta ſenſum*, poſteriorem autem ſenſum *juxta allegoriam.* Origenes inquit, alium

eſſe

esse secundum literam κατὰ τὸ ῥητὸν & alium esse secundum intelligentiam, κατὰ τὴν διάνοιαν. Prior dici quoque potest κατὰ λέξιν, secundum dictionem, & posterior κατὰ σχῆμα, secundum figuram. Sensui spirituali nomina quoque mystici & allegorici imponuntur, verum diversæ hic differentiæ statui possunt, quidam evidenter necessarii, perque terminos significantes naturaliter indicati, qui termini sensum huncilli dare velut cogunt: alii sunt obscuriores, & incertiores, quia litera non cogit, eos ita intelligere, alii sunt accomodatitii: & alii denique mere arbitrarii sunt, & ab imaginatione hominis dependent: Plana hæc, & explicatu per exempla sunt facilia. Verba hæc Psalmi II. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, necessario de JESU Christo in sensu rei figuratæ innuuntur. Iidem ipsi termini, sicut & aliæ hujus Psalmi expressiones indicant, occasione hostium Davidicorum, Victoriæ, atque regni ejus, sermonem esse de hostibus JEsu Christi, de victoria, quam ex illis reportavit, deque Ecclesiæ suæ constitutione atque confirmatione; alter figura saltem est, alter res figurata. Omnes interpretes consentiunt, ultimum hunc sensum esse proprium naturalem & necessarium; plures tamen literalem eum adpellant: nolunt alii hoc ei nomen dare, quia sensum tantum figuræ seu parabolæ sensum literalem vocant, sensui autem sublimiori, licet per terminos clare indicatus atque expressus sit, mystici nomen imponunt. Sensus hic mysticus primi generis est. Sensus proprius sensus facilis intellectu, & omnino necessarius. Non eadem aliorum sensuum mysticorum minus clare expresso-

pressorum ratio est; nam etsi de veritate illorum dubitari nequit, dici tamen non potest, necessarios illos esse, i. e. lectorem mox è terminis necessario eas comprehendere: sensum hunc S. Paulus in sua ad Ebræos Epistola Cap. I. v. 5. sequentibus libri Regum verbis dedit: *Ego ero illi in Patrem, & erit ille mihi in filium.* Nullum in Regum libro argumentum est, quod nos urgeat de JEsu Christo hæc intelligere: è contrario sermo unice de Salomone esse videtur. Interim de veritate sensus mystici ad JEsum Christum respicientis dubitari nequit, quia S. Apostolus hunc ei sensum imponit. Dantur sensus, quos convenire, nisi per appropriationem, haud credas, & quos interpretes accommodatitios vocant: cujusmodi ea est adplicatio, quam S. Paulus in priori ad Cor. Epistola super causa pastorum Ecclesiæ ex hoc Deuteronomii loco facit: *Non allegabis os bovi trituranti.* I. Cor. IX. v. 9. locus hic secundum literam de bobus, frumentum exterentibus, agit, necesse non est, ut alium eum sensum habere dicamus; sufficit adplicari eum posse ad rem, quam Paulus tractat præsentem. Dantur denique explicationes allegoticæ mere arbitrariæ, quæ nullum in litera & historia fundamentum habent, quibus Philonis, Origenis, aliorumque Patrum volumina plena sunt. Sic e. g. juxta quorundam opinionem per Lothum præfiguratur JEsus Christus, perque illius duas filias duo Testamenta; sive prouti Origenes ludit, Lothus lex est, uxor ejus populus Israeliticus, & filia ejus Hierosolymæ, & Samaria, & infinitæ aliæ, quas lusus ingenii profert, delectationi quidem & attentioni lectoris sive

audi-

auditoris, veris tamen textus explicationibus minus inservientes.

Ex omnibus Sacræ Scripturæ sensuum generibus sensus literalis solus, quatenus suo sub nomine sensum rei figuratæ, ad auctoris intentionem, simul comprehendit, idoneus est probandis dogmatibus theologicis. Sensus reliqui, cum non sint necessarii, proprii & reales, sed ab inventione aut imaginatione lectorum aut prædicatorum saltem pendant, equidem ad ædificationem fidelium prodesse possunt, sed omnino nihil ad probandum dogma quodcunque valent. Sunt enim arbitrarii, qui non ut veri Sacræ Scripturæ sensus, quos auctor divinitus inspiratus sive Spiritus Sanctus intendit, considerari possunt, alias idem esset, ac si quis ingenii sui fœtum pro divinis oraculis haberi vellet. Reprehendit hoc in Origene S. Hieronymus, quem ait (in præfatione Libri V. in Esaiam) in allegoriarum campum late pro lubitu exspatiari, ac dum nomina pro suâ imaginationis lubidine exponit, ingenii sui partus Ecclesiæ Sacramenta facere: *Ingenium suum facit Ecclesiæ Sacramenta:* & in Commentario in IXL. Caput Jeremiæ, allegorica quadam Originis, quem delirum interpretem nominabat, explicatione adductâ, discipulos suos reprehendit, quod aures his figmentis præbeant, easque pro divinis mysteriis habeant. S. Augustinus hanc in rem primò de Doctr. Christ. libro cap. 36. multo cum judicio observat, eum, qui ex Sacræ Scripturæ verbis sensum duxerit, qui ædificandæ charitati sit utilis, sed tamen sensui auctoris sacri, quem præ manibus habet, non

conformis; eum falli errore quidem non pernicioso, *sed tamen ita fallitur, ac si quisquam errore deserens viam, eò per agrum pergat, quo etiam via illa perducit. Corrigendus est tamen, & quam sit utilius viam non deserere, demonstrandum est; ne consuetudine deviandi etiam in transversum aut perversum ire cogatur. Asserendo enim temere, quod ille non sentit quem legit, plerumque incurrit in alia, quæ illi sententiæ contexere nequeat.* Abutuntur porro nonnulli sensu allegorico. 1°. Quando sensum literalem meras allegorias venando, negligunt, destruuntve, quod vitium veteres in Origene graviter reprehenderunt. 2°. Si persuadere nobis conantur, sensum hunc arbitrarium, verum esse Sacræ Scripturæ sensum. 3°. Si allegorias scrutantur coactas, longeque nimis petitas, quæ nullum nec in Sacrâ Scripturâ nec in analogiâ figurarum Veteris & Novi Testamenti fundamentum habent. 4°. Si sensibus mysticis & allegoricis nimium inhærent, eosque pro meliori Sacram Scripturam exponendi methodo amplecti volunt, gravissimo utique errore, dum sensu literali, quem auctores sacri atque Spiritus S. reverâ intenderunt, postposito, sensibus merè arbitrariis, nullâ certâ regulâ munitis, operam atque studium unicè dari cupiunt: quod idem est, ac rejectis cibis solidis pascere stomachum inanibus imaginationibus conari. Ejusmodi farinæ commentarii magnum Interpretibus seu autoribus suis negotium facessunt, quia inusitato more nisuque ingenti imaginationis nervos intendunt, ut novas semper inventiones suggerant, queis tamen

tamen parum utilitatis auditoribus, vel lectoribus adferunt. Paucis, ejusmodi allegoriæ multum laboris poſcunt, parum eruditionis ferunt, animos autem minime afficiunt. Interim non eſt prohibitum, allegorias aliquando uſurpare, ad lectoris vel auditoris animum excitandum, ejusque attentionem alendam, modo earum uſus ſobrius ſit; adhæc, occaſione ita ferente, magis etiam ad rem facit, allegoriis cognitis, in Eccleſia jam antehac uſitatis, & à ſanctis Patribus adprobatis uti, quam ex ſuo cerebello novas minusque notas producere.

Explicandi vero Scripturam Sacram non una eſt indoles, methodi, modique diverſi, ſive formam ſpectes tractationis, quam interpres elegit; ſive ſubjectum & materiam, quæ tractatur. De diverſis materiis, quæ tractari in Sacræ Scripturæ commentariis poſſunt, dicemus deinceps: nunc de methodis.

Prima Sacram Scripturam explicandi methodus illa eſt, quæ vocatur *Paraphraſis*, cum textus aliis verbis atque phraſibus paullo diffuſius proponitur, adjectis inſimul nonnullis, quæ ad illius illuſtrationem faciunt. Methodus hæc apud Judæos diu obtinuit, qui textum Ebraicum Chaldaicâ paraphraſi interpretabantur, quæ olim in Synagogis eorum legebatur. Veteribus Chriſtianis non ita frequenter in uſu fuit, donec ultimis ferè temporibus Interpretes quidam ad quorundam Sacræ Scripturæ librorum explicationem eam adhibuerunt: nihilominus methodo huic paraphraſticæ ſua conſtat utilitas, præcipue in Sacræ Scripturæ

libris atque locis difficilioribus, quos bona paraphrasis maximè intelligibiles reddere potest; sed illud quoque incommodum eam premit, quod sensum Sacri Scriptoris quidem exponit, ac veluti definit, nulla tamen suæ interpretationis addita ratione, ita ut coacti sint qui tali interprete utuntur, Paraphrastæ cogitationes sensaque cœco velut obsequio amplecti, absque ut certo sint è rationibus convicti persuasive, quod sensum, ut decet, verum ille attigerit: hinc è re erit, commentarium paraphrasi adjungere, ut explicationis, à paraphrasi subministratæ, rationem reddere auctor queat.

Secundam methodum exhibent *Scholia* sive breves notæ, quæ margini plerumque ad illustranda difficiliora loca adscribi solent, sive circa diversas textus lectiones occupentur, sive circa diversitatem versionum, sive genuinam verborum significationem explicent, sive difficultatem in textu obviam paucis verbis tollant, sive denique diversos sensus, qui ex textu erui possunt, succincte notent.

Origenes ejusmodi scholia in universa Biblia scripsit, quibus breviter atque succinctè difficilia & obscura loca inlustravit. Erant hæc Scholia primum tentamen laboris triplicis operum, quo laudatus Doctor in Sacram Scripturam comentatus est, prout Hieronimus in Prolegomenis versionis Homiliarum Origenis in Ezechielem testatur. *Primum ejus excerpta sunt, quæ Græce σχόλια nuncupantur, in quibus ea, quæ obscura atque difficilia ipsi videbantur, summatim breviterque per-*

perstrinxit. Methodum hanc idem Pater in suo in Matth. Commentario *commaticum interpretationis genus* adpellat, quia Scholia stilo laconico exarata esse debent. Post Origenem methodus hæc Sacram Scripturam explicandi ab aliis Patribus admodum neglecta fuit, quippe qui vastos plerunque commentarios in Sacram Scripturam scripsere: affirmari tamen potest, illam explicationi literæ maximo commodo esse, eaque propter plures exercitatorum Interpretum ultimis seculis methodum hanc jure meritoque elegerunt, ac eruditas notas marginales in Codicem sacrum ediderunt.

Tertiam methodum conficiunt *Glossæ* sive explicationes interlineares vel marginales per Walafridum Strabum, Monachum Fuldensem, Rhabâni discipulum Seculo nono introductam, cujus glossa communem in Ecclesia sub *Glossæ ordinariæ* nomine usum obtinuit; qua vero nihil ferme aliud fecit, quam quod magistri sui Rhabani commentarium in compendium redegerit; estque glossa ipsius non literalis textus explicatio, sed farrago tantum variarum meditationum ex Patribus, quas Rhabanus suis Commentariis inseruit. Sic & Glossa interlinearis, quæ simplicem locutionum in textu obscuriorum explicationem tradere debuisset, sensibus quoque mysticis multisque inutilibus observationibus scatet; hinc illæ glossæ seculis obscuris tanto pretio habitæ, neglectæ postea atque contemtæ; methodusque hæc, lectori ingrata, haud amplius usurpata fuit.

Ad quartam methodum *Postillæ* referri possunt. Vocabulum est barbarum ex duabus voculis *post illa* compositum, quæ voces interpretationi solebant præmitti: *Post illa verba* ad indicandum locum, quem explicatio respiciebat. Nomen hoc Commentariis in Sacra Biblia, cujuscunque generis essent, duodecimo atque decimo tertio Seculo communiter fuit impositum; & quamvis notis tantummodo brevibus & literalibus convenire videatur, æque tamen commentariis diffusis atque allegoricis vel moralibus tributum fuit: sic Postillæ propriæ loquendo, pro peculiari Commentariorum specie venditari nequeunt.

Quintam explicationis Sacræ Scripturæ methodum in antiquitate communissimam, quâque Patres maxime usi sunt, constituunt *Homiliæ*, i. e. dissertationes seu Sermones ad populum, quos latini aliàs tractatus vocabant, quæque hodie vulgo Concionum sive *Sermonum* nomine veniunt; nam ordinaria materia sacrorum sermonum apud Patres erat explicatio Sacræ Scripturæ. Legebatur prius in Ecclesia, & quantum recitabatur, deinceps explicabatur ab ecclesiæ doctoribus consuetudine Judæis olim usitata, quam Apostoli retinuerunt, & omnis à prioribus Seculis Ecclesia. In his Homiliis Patres ordinarie ab initio litteram textus, si qua difficultate impeditior videbatur, explicabant, ut facilem eum clarumque populo redderent, inde ad allegorias sive moralia progrediebantur. Aliqui tamen & bene multi, sensum literalem interdum negligebant, ac sæpius primis tantum labiis eum degustabant, parum curantes,

num

num verum ſenſum aſſecuti ſint, modo is, quem tradebant, inſtructioni atque emendationi fidelium inſerviret: Hinc non omnis accuratio, quæ in commentariis literalibus apparere debet, in Homiliis iſtis eſt requirenda.

Sexta interpretandi Scripturam Sacram methodus vocatur *Commentarius*, licet enim terminus hic univerſalis ſit, omnique explicationi competat, ſumitur tamen hic pro interpretatione juſtæ amplitudinis, cum curâ atque diligentia elaborata. Magnus extat poſt Origenem Græcorum atque Latinorum Patrum numerus, qui ejusmodi commentarios in Sacras Literas conſcripſerunt: nempe præcipuum hoc illis ut plurimum erat ſtudium & opus, cui animum ſerio applicabant. Sed viciſſim commentarii hi multum á ſe invicem diſcrepant: dantur enim Patres, qui parum literæ inhæſerunt, ut eo liberius in allegorias & moralia exſpatientur; ſicut Origenes, Ambroſius atque Auguſtinus fecerunt: alii præcipuam operam in perveſtiganda litera poſuerunt, ut S. Hieronymus, S. Chryſoſtomus, & Theodoretus: alii denique ſtudio literali unice manent immerſi, ad quos maximam recentiorum Commentatorum partem referas.

Septima methodus Sacram Scripturam explicandi ea eſt, quam auctores Seculi octavi, noni & ſequentium per diverſorum auctorum & commentariorum compilationem adhibuerunt. Hujusmodi farragines *Catenæ* dicebantur, quia ex pluribus variorum auctorum locis congeſtæ, &

concatenatæ veluti inter se fuerunt. Jampridem antehac S. Hieronymus simile quid effecerat, cum diversorum auctorum interpretationes commentatiis suis insereret; sed multo amplius Cassiodorus, Beda, Rhabanus, aliique apud Latinos; apud Græcos Procopius Gazæus, Nicetas sive Olympiodorus, aliique plures in hoc desudarunt labore, qui nonnisi oculos ad legendum & digitos ad exscribendum postulat. Interim Catenæ hæ penitus respuendæ non sunt, ut enim in præsenti nihil de magnâ copiâ fragmentorum è priscis veterum Commentariis, hâc ratione ab interitu vindicatorum dicam, expedit sane, in unâ serie & in uno libro plurium auctorum de sensu alicujus loci cogitationes deprehendere: at collectionem, longè utiliorem illi instituissent, si cum judicio & selectu illud fecissent, bonosque tantummodo commentarios compilassent, quod plerique Catenarum magistri, usu & judicio destituti, nesciverunt. Postremæ, quas fecerunt nostro tempore viri docti, collectiones & compilationes, sive plurium commentariorum integrorum & non interruptâ serie contextorum collectio; quales in Bibliis magnis, & maximis, nec non in vastis Criticorum, quos vocamus, Anglicanorum tomis: sive commentariorum in compendio facta compilatio, quæ in Matthæi Poli Synopsi Criticorum extat, maximum equidem usum præstant; sed Priores illæ diffusæ, minusque commodæ sunt, maxime quia eandem rem, diversis subinde calamis repetitam, sæpe exhibent; posteriorem autem confusio & obscuritas haud raro premunt: nihilominus

lominus utilissima audiunt opera, quibus ad consummatam Sacræ Scripturæ cognitionem adspirans carere nequit.

Octava methodus Sacram Scripturam exponendi per *Quæstiones* sive interrogationes & responsiones condita apparet. S. Augustinus, Theodoretus aliique auctores ecclesiastici quæstiones ejusmodi in diversos Sacræ Scripturæ libros formarunt, quæstiones illic momentosissimas, quæ super libris his agitari possunt, pertractant, perque eas maximis difficultatibus lucem affundunt. Methodus hæc aptissima pariter ac utilissima est, si modo quæstiones ad enucleationem textûs utiles eligantur, rejectis inutilibus & ad rem haud pertinentibus.

Nona methodus *prolixis dissertationibus* absolvitur, quæ de præcipuâ unius Sacræ Scripturæ libri materiâ fiunt, omnibus hûc spectantibus, longe lateque collectis. Sic plures Patres commentarios in Hexaëmeron, seu Opus sex dierum i. e. in Historiam Creationis ab initio Geneseos relatam, texuerunt, in quibus, quâs hâc de materia formare poterant quæstiones, in longum trahebant: alii certas materias selegerunt, quas super occasione data è libris certis pertractarunt, sicut Ambrosius occasione Historiæ Prophetæ Eliæ de Jejunio, & è libro Tobiæ de usura sermonem instituit. Ab eo quoque tempore, quo Theologia Scholastica initium sumsit, Theologi, e. g. Richardus à S. Victore, loco explicationis in textum biblicum, quæstiones theologicas & Philosophicas in suis commentariis excutiebant,

bant, si modo libris illis commentariorum nomen imponi potest, qui non ad explicationem alicujus libri, sed de rebus longè aliis scripti sunt.

Decima methodus Sacram Scripturam explanandi per *Summas* aut *Summaria*, quæ barbare dicuntur, & *Epitomas* se exerit: Hanc Petrus Comestor Historiâ suâ Scholasticâ introducere voluit, qua compendium totiûs *Historiæ* Sacræ & profanæ itemque explicationes aliquas Patrum complectitur. Liber hic olim in ignorantiæ ac tenebrarum Seculis frequentem usum obtinuit, sed hodie ejusmodi compendia non nisi tironibus, quibus Sacræ Scripturæ prægustum dare volumus, prodesse valent.

Ultimus denique Sacram Scripturam interpretandi modus est, si quando in peculiaribus operibus eæ res pertractantur, quas ad intelligentiam Sacræ Scripturæ velut præcognita nosse debemus, e. g. de auctoritate librorum Sacrorum, de auctoribus tum textus authentici, tum versionum, porro de Geographia aut Chronologia Sacra, de ponderibus, mensuris, de legibus, & consuetudinibus Judæorum, & plurima alia cum Sacræ Scripturæ textu nexum habentia inseparabilem, quem solide explicare ineptus eris, ubi ea ignoraveris, & quorum auxilio omnes ferme difficultates illic occurrentes facile tolluntur. Tractatus hi *Prolegomena*, *Apparatus*, *Dissertationes præliminares* in Sacra Biblia vulgo inscribuntur, & antiquis temporibus originem debent, tum incredibili, uti jam diximus, adjumento sunt. Hæc de commentariis ratione formæ diversis.

Com-

Commentarii vero Sacræ Scripturæ respectu materiæ in *allegoricos* sive *mysticos*, *dogmaticos*, *morales* & *literales* dividi possunt. Allegorici Commentarii sunt, in quibus missô literali sensu pro arbitrio sensus allegorici & mystici traduntur. Modus hic Sacram Scripturam explanandi à Judæis ad Christianos pervenit,& ante Domini nostri tempora apud priscos in usu erat. Aristobulus Judæus in suis Commentariis in Pentateuchum eo usus fuerat. S. Paulus Judæorum disciplina imbutus, allegoriis sæpe utitur in suis Epistolis, præcipue in Epistola ad Galatas cap. 4. v. 24. ubi de duobus Abrahami filiis, altero ex ancilla, altero ex libera natis loquens addit *ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα hæc per allegoriam dicuntur*, & quod duæ uxores duo sint testamenta, h. e. ut S. Chrysostomus explicavit, quod duo Testamenta præfigurent, sicut S. Paulus idem hoc loco dicit: Hunc Sacram Scripturam explicandi modum Judæi Alexandrini aliis diligentius excoluerunt. Philo refert, Therapevtas habuisse vetustos Auctorum suæ Sectæ commentarios, allegoriis passim refertos & Sacram Scripturam tropice per allegorias explicasse; fingentes Legem ad instar animalis esse, cujus corpus verba, anima autem sensus occultor sit atque mysticus. Ipse hic auctor scribendi genus istud est amplexus, eique operam suam atque studium vel unicè impendit: Per scripta ejus modus Sacram Scripturam allegorice interpretandi, tanto cum excessu in Ecclesia introductus fuit ut Photius cod. 105. observat. Pantænus Scholæ Alexandrinæ magister, item Clemens, & quem primò nominare

nare debuissem, famosus Origenes in Ecclesiam Græcam atque Latinam eum invexerunt. Certè ad hujus ultimi morem maxima Græcorum & Latinorum Patrum pars ad Diodorum usque Tarsensem in commentatione Sacræ Scripturæ se composuit, sæpiusque nihil ferme aliud fecerunt, quam ut eorum commentarios, aliosque tractatus exscriberent, verterentque. Subsequentibus Seculis non omnibus prorsus allegoriis Patres abstinuerunt; & licet in explicatione Sacræ Scripturæ, plus curæ quam antea literali expositioni adhibuerunt, textui tamen allegoricas ubique ferme explicationes, licet quidam plus, quidam minus adsuerunt, immo integros interdum commentarios allegoricos composuerunt. S. Hieronymus fatetur, cum juvenis adhuc Interpretationis mysticæ amore totus quasi effascinatus fuisset, commentarium se merè allegoricum in Prophetam Abdiam elaborasse, qui suis lectoribus & approbatoribus minime caruerit; sed ipse posteà cognovit, commentarium suum non eo, quem adeptus erat, honore dignum esse. Ipse dicit, se in admirationem occasione hâc fuisse raptum, quomodo fieri posset, ut quum male quis scripserit, lectorem tamen inveniat, qui ejusdem cum ipso male sani palati sit: *Fateor*, inquit, *miratus sum, quod quantumvis aliquis male scripserit, inveniat lectorem sui similem: ille prædicabat, ego erubescebam: ille quasi mysticos intellectus ferebat ad cœlum, ego demisse capite confiteri pudorem meum prohibebar.* S. Augustinus ejusdem naturæ tractatum in Genesin ætate juvenile moliebatur, sed in suis Retractationum Libris fatetur,

cona-

conatum suum oneri tam gravi succubuisse, ut coactus fuerit, laborem hunc inceptum prius intermittere, quam primum librum absolverit. Liquet ex his & similibus, quam arduum & difficile sit, in ejusmodi Commentariis proficere, ubi ab ingenio novæ semper inventiones suggerantur necesse est, totumque Systema ubique sibimet convenire & æquale esse debet. Interim difficultas hæc impedire non potuit, quo minus nonnulli Patres suis in commentariis allegoriis unice addicti essent, illis tamen præ reliquis in hoc scribendi genere res prospere successit, qui cum Bernhardo magna pietate, amplissima Theologiæ scientia, acuto ingenio atque subacto judicio præditi fuerunt: quibus autem virtutum modò nominatarum una alteráve defuit, facile eò sunt prolapsi, ut magnum opus impari robore aggrederentur. Vetustissimi Judæorum in Sacram Scripturam commentarii, quos *Midraschim* & *Rabboth* vocant, non solum allegoriis, ingeniique lusibus, sed fabulis quoque & superstitionibus Judaicis, quas sub splendido Traditionis titulo jactitant, scatent; sunt qui Cabbalisticam insuper methodum dispositione & inversione literarum cujusvis voculæ ad inveniendos absconditos & mysticos Sacræ Scripturæ sensus consistentem usurparunt. Sed vanæ hæ subtilitates sunt; ac jure affirmari potest, *veteres Judæorum commentarios nullius pretii atque usus esse.* Hinc & Judæi recentiores aliamne in suis Commentariis Biblicis methodum sunt secuti. Nihil nunc ad ea, quæ modo diximus, de utilitate & legitimo usu in allegoriis tenendo adjiciemus:

mus: ex his ſatis colligere eſt, quid de Commentariis allegoricis ſtatuendum ſit; poſſunt ſcilicet quandoque utiles eſſe ad inſtruendum, ad ædificandum, & ad delectandum auditorem vel lectorem, ſed nihil ad intelligentiam textus conferunt.

Commentarii dogmatici, quod alterum genus eſt, lectorem plerumque, longius adhuc ab interpretatione textus abducunt: ſiſtunt enim fere non Scripturæ explicationes, ſed peculiares prorſus, in particulares ſcientias atque dogmata, tractatus. Commentatoris eſt officium Scripturæ Sacræ loca doctrinam ſive mores ſpectantia juxta ſenſum Eccleſiæ explicare, ſed extra oleas vagatur commentator, inque alienam meſſem falcem immittit, quando loci alicujus occaſione longius ab inſtituto digreditur, & peculiare de dogmate quodam ſcriptum loco alieno componit. Nihilominus vitium hoc Patrum nonnulli, quos inter Cyrillus Alexandrinus eſt, in ſuis Commentariis traxerunt, immo & modernorum plures commentarios ſuos immane quantum quæſtionibus polemicis, aliiſque, ad lectoris uſque nauſeam & moleſtiam adauxerunt. Dantur quoque, qui ulterius progreſſi, quæſtionibus non ſolum Theologicis, ſed etiam Philoſophicis, Hiſtoricis, Criticis, Philologicis, & Grammaticalibus commentarios ſuos omni ex parte onerant. Inque errorem hunc permulti novorum Commentatorum inciderunt, præcipue Judæi, qui ſæpe ad voculam, quæ occurrit, prolixam digreſſionem faciunt, & quicquid norunt, ſive ex Philoſophia, ſive Matheſi,

thesi, vel aliâ scientia haustum, commentariis suis largiter inserunt.

Commentarii morales utiliores sunt, ac minus longè à litera, & caussæ argumento abeunt: doctrina namque moralis, quæ traditur, aut sensu Sacræ Scripturæ naturali comprehenditur, atque sic literalis quædam est explicatio; aut historia vel exemplum quoddam ex Sacra Scriptura ad docendam aliquam virtutem, vitiumque propulsandum petitur; sic adplicatio est, ex sensu literali atque historico resultans, utilissima profecto, præsertim ubi populo Sacra Scriptura explicatur. Methodo hâc S. Chrysostomus modo quodam incomparabili in suis usus est Homiliis: literali namque & historico sensu curate exposito, circa finem auditores officiorum suorum admonet, argumento morali, quod vel ab historia in textu relata, vel ab alio quodam particulari loco desumtum est. Datur quoque tertium Commentarii moralis genus, mystico respondens, & in hoc consistit, quod doctrina moralis non in sensu historico & terminorum literali, sed in sensu allegorico ipsis affricto fundatur. Hunc in modum S. Gregorii aliorumque quorundam Patrum Commentarii morales compositi sunt, ad ædificationem quidem fidelium utiles, sed ad Sacræ Scripturæ interpretationem nihil facientes.

Commentarii denique literales sunt, in quibus vero Sacræ Scripturæ verborum sensui explicando labor atque studium impenditur, ita tamen, ut id ipsum non ad significationem terminorum & verborum tantum immediatam, sed ad omnes

omnes quoque Scripturæ textui sensus proprios, naturales, atque necessarios extendatur: sic sensus allegoricus primi generis æque ac sensus verborum literalis in his Commentariis locum habent. Quamvis primi Patres in suis sermonibus & commentariis, quos in usum Christianorum scripsere, sensus magis allegorici, quam literalis studiosi videantur; nec tamen propterea Sacræ Scripturæ sensum literalem penitus neglexerunt, ut ex libris patet dogmaticis, quos contra Judæos & Hæreticos ediderunt, in quibus bene noverant, non sensibus his arbitrariis, nihil probantibus, sed Prophetarum sensibus naturalibus & necessariis, sive locis ad probanda dogmata aptis, indulgendum esse. Sic S. Justinus in suo contra Tryphonem dialogo sensus Prophetarum naturales evolvit, eorumque significationem naturalem examinat: & S. Irenæus in libris suis contra Hæreses, allegoricis explicationibus, quas Valentiniani & Gnostici ad probandam doctrinam suam fabulosam, verbis & locis Sacræ Scripturæ, queis abutebantur, assuebant, naturales verosque sensus opponit: reliqui Patres eodem literali sensu usi sunt, ubi cum Hæreticis res fuit, persuasi, non ex re esse, ut Augustinus ait Lib. I. contra adv. leg. c. 13. sensum allegoricum contra infideles adhibere: *Non esse hunc sensum contentiosis, & infidelibus sensibus ingerendum*; neque unquam, ut S. Hieronymus ait, parabolam, dubiamque ænigmatis explicationem ad confirmanda dogmata prodesse: *Pius quidem sensus, sed nunquam perabola & dubia ænigmatum intelligentia potest ad aucto-*

rita-

ritatem dogmatum proficere, in Matth. c. 13. Hinc in ſuis operibus dogmaticis literali ſenſui inhærebant: ſed in ſuis ad populum Homiliis ſive Commentariis, librisque ad fidelium inſtructionem ædificationemque compoſitis libertatem ſibi ſumebant, ſenſus allegoricos & arbitrarios absque tenaci literæ inhæſione referre. Horum è primis unus eſt Diodorus Tarſenſis, ex cujus ſchola plures Commentatores prodiere, qui in explicando Sacram Scripturam ſenſui literali operam ſerio navarunt, quos inter S. Chryſoſtomus ſine controverſia omnium maximè in hoc genere excelluit, illiusque elegantiam & utilitatem egregie demonſtravit. Poſt eum Eccleſia Græca Virorum doctorum fœcunda fuit, qui omnes ad idem ſtudium ſedulò incumbebant literalesque Sacræ Scripturæ explicationes ex illius commentariis hauriebant, quò referas Theodoretum, Theophylactum, Oecumenium, Procopium Gazæum aliosque plures, nec non monachum doctiſſimum, Iſidorum Peluſiotam, ex cujus epiſtolis ſatis videre eſt, quantum induſtriæ in excolendo Sacræ Scripturæ ſenſu literali poſuerit: at vero nonnulli, ſicut Theodorus Mopſueſtenus, principium Diodori Tarſenſis nimium urſerunt. Inter Judæos paulo poſt Talmudis ortum Secta prodiit virorum eruditorum, quos *Karaitos* adpellaverant, à nomine *Karai*, quod hominem Sacræ Scripturæ peritum denotat: Auctor hujus novæ Sectæ Judæus, nomine Anan fuiſſe creditur, qui circa medium octavi à Chriſto nato ſeculi vixit: hujus placitis & ſectæ quotquot adhærent, reliquorum

Judæorum fictas traditiones rejiciunt, uniceque Sacræ Scripturæ textui sunt addicti, explicantes eum secundum literam, prout regulæ Grammatices rationisque captus postulant, rejectis insimul allegoriis & cabbalisticis, quibus reliqui utuntur, explicationibus.

Karaitas hosce summo statim reliqui Judæi odio prosecuti sunt, erroresque Sadducæorum & Sammaritanorum ipsis imputarunt, licet isti reverâ ab amborum opinione longè absuerint, & in eo tantum à reliquis Judæis dissenserint, quod missis traditionibus, quas illi jactabant, itemque allegoriis, explicationi textus Scripturæ literali unicè incumberent. At quantumcunque averso animo à Karaitis fuerint Judæi, exercitatiores tamen ultimorum temporum Rabbini, e. g. R. Kimhi, Aben-Esra, Karaitarum methodum paulatim amplexi sunt, inque suis Commentariis explicationi sensus literalis presso vestigio insistentes, cujusvis verbi atque loci significationem & sensum literalem exacte annotarunt. Modum hunc Sacram Scripturam ad sensum literalem explicandi doctissimi Christianorum Interpretes postremo tempore in suis commentariis circumspectè tenuere, textus terminos ad Hebraicam atque Græcam notionem explicantes; cum antiquis versionibus conferentes; differentiam textus atque verborum, si quæ fuit, examinantes, cui sensui inhærendum, quidve cum antecedentibus & consequentibus magis conveniat, indicantes; parallela Sacræ Scripturæ loca comparantes; textûs veros sensus ex sequentibus verborum, & auctoris intentione divinan-

vinantes; dubia in ſermonis conſtructione obvia reſolventes, hebraicas aliasque auctoribus ſacris in more poſitas locutiones evolventes; difficultates, quæ ſive ex doctrina, ſive ex Hiſtoria, Chronologia, Geographia, terminis technicis, ſcientiis, plantarum, animalium nominibus, &c. naſcuntur, tollentes, nihil denique, quod ad intelligentiam ſenſus Sacræ Scripturæ proprii & naturalis facere poteſt, omittentes. Non eſt hujus loci, ut de Sacræ Scripturæ commentatoribus copioſe loquamur, noſtrumque de eorum commentariis judicium feramus; immenſum hunc in ſuo complexu laborem exiguus hìc liber minime caperet, paucis tamen in ſecundâ parte præcipuorum & utiliſſimorum Sacræ Scripturæ commentatorum nomina dabimus: ſatis hic eſt, primas variorum Commentariorum lineas duxiſſe, quæque vel ad methodum vel ad rem ſpectent, quem uſum obtinuerint, & adhuc apud Judæos atque Chriſtianos obtineant, digito monſtraſſe. Nihil nunc reſtat, quam ut regulas afferamus, quas dextræ Sacræ Scripturæ interpretationis cupidum obſervare oportet, haſque in ſequenti cum lectore communicabimus.

CAPUT IX.

De Regulis exquisito Sacræ Scripturæ interpreti observandis.

Ante omnia si quis Sacræ Scripturæ interpres in rebus fidei atque morum evitare devia desiderat, prima maximeque necessaria regula hæc est: ut in rebus, ad Sacram Scripturam pertinentibus, sensum Ecclesiæ atque unanimem Patrum interpretationem sequatur. Hanc Concilium Tridentinum dedit, in cujus Sessione IV. effatum istud inter alia offendes: *Ad coercenda petulantia ingenia, decernit (Synodus:) ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ pertinentium Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, & contra sensum, quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare, de vero sensu & interpretatione Sacræ Scripturæ aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat.* At vero cujuscunque necessitatis hæc Regula sit, ad impediendos petulantes animos, ne sub explicationis Sacræ Scripturæ prætextu nova sua dogmata in vulgus disseminent, Concilii tamen nunquam fuit intentio, Interpretibus librorum sacrorum interdicere, quo minus obscura illa Sacræ Scripturæ loca, à Patribus male intellecta, inlustrent, eorumque verum sensum linguarum scientiarumque ope ac notitiâ detegant. Concilium enim seipsum mox explicat,

ubi

ubi interdictum suum, ne Sacra Scriptura contra unanimem Patrum consensum explicetur, ad res, fidem & mores attinentes, à quibus doctrinæ christianæ incrementa dependent, restringit. *In rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ pertinentium*; insimulque declarat, prohibitionem hujus interdicti, *ad coërcenda tantum petulantia ingenia*, hoc est ad coërcendos in re theologica novaturientes factum esse; id vero Catholicos Theologos minime tangit, qui scientiarum, linguarum, atque ratiocinationum ope difficilis alicujus loci sensum adaperiunt, si modo sensus hic doctrinæ ecclesiasticæ non est contrarius, licet explicationi antiquorum non utique conformis. Cur enim prohibitum sit, Sacræ Scripturæ locum, obscuritatibus hactenus involutum, explicare, difficultates, nondum satis enodatas, tollere, verumque sensum, à quo vel linguarum, vel studii tenacioris, vel critices ignorantia, vel nimia erga antiquas explicationes veneratione atque fiducia aberratum fuit, invenire atque in medium producere? Plerique Patres sensui magis allegorico, quam literali inhæserunt, pauci linguas originales calluere, pauci textum Ebræum consuluerunt, pauci artis critices periti fuerunt; omnes fermè de sensu locorum difficilium diversas opiniones foverunt: cur ergo posteris permissum non esset, qui majorem quam illi linguarum notitiam sibi compararunt, qui diligentius in mores & consuetudines Judæorum, aliasque scientias, illustrationi Sacræ Scripturæ inservientes, inquisiverunt, cur, inquam, eis permissum

non esset, scientias has ad conciliandum textui Sacro novum lumen atque perspicuitatem utiliter adplicare? Hieronymus persuadere sibi nequit, interdictum esse novas Sacræ Scripturæ explicationes procudere, antiquis Patribus incognitas, adeoque illis, quas auctores christiani antea tradiderant, contrarias, qui sæpius ipse ab explicationibus à christianis receptis, confirmatisque in diversum abiit, Ebræorumque notationes est secutus. *Hæc nos*, inquit in Epistola 138. ad Marcellam: *De intimo Hebræorum fonte libavimus, non opinionum rivulos persequentes, neque errorum, quibus totus mundus repletus est, varietate perterriti, sed cupientes & scire & docere, quæ vera sunt*, & cum ipsi objiceretur, cur rejectis christianorum explicationibus Judæorum scrinia compilaret, antecessorum suorum, Origenis S. Clementis, & Eusebii exemplis se defendit, qui pariter Judæorum explicationes & citarunt, & secuti sunt. Nec S. Augustinus in animum sibi inducere potuit, Sacræ Scripturæ libros non alio modo explicari posse, sed è contrario palam asserit, novas indies res assiduâ in Sacris literis meditatione inveniri posse; hinc novam versionem, quam S. Hieronymus in textum Ebræum adornavit, adeo non improbavit, ut potius dixerit; etsi Interpretes unicam modo fidem habeant, necessarium tamen est, ut plura Sacræ Scripturæ loca dissimili modo explicentur, propter eorum obscuritatem, quæ & ipsa causa est, ut idem auctor in diversis locis diversimode eam explicet. Nemo denique est Patrum vel Commentatorum, qui religioni sibi duxerit, aliam explica-

plicationem, quam quæ per unanimem Patrum antiquiorum consensum adprobata fuit, in medium proferre: neminem, inquam, ferme repereris, præcipue inter illos, qui non solum alios ubique descripserunt, sed proprio Marte sua elaborarunt; qui non novas aliquas explicationes prioribus sæpe dexteriores venioresque attulerit. Ejusmodi explicationes apud omnes ferme Commentatores Catholicos etiam, qui post Concilii Tridentini decretum scripserunt, passim obviam habebis.

Si quis igitur idoneus Sacræ Scripturæ Interpres audire vult, non solum doctrinam Ecclesiæ Patrumque placita cupide addiscere, & obedientiam ipsis præstare, sed earum quoque linguarum, quibus libri sacri primitus scripti sunt, h. e. Hebrææ atque Græcæ linguæ peritus esse debet; prima hæc est regula, quam Augustinus intelligentiæ Scripturæ studioso tradit: Si quis, inquit, Sacram Scripturam probe cognoscere cupit, præter latinam linguam, Hebraicam quoque atque Græcam teneat, ut ad exemplaria originalia recurrat, si varietas Interpretum sensus dubios reddit, verba ejus sunt: Et *latinæ quidem linguæ homines, quos nunc instituendos suscepimus, duabus aliis ad Sacræ Scripturæ cognitionem opus habent. Hebræa scilicet & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas; in de Doctr. Chr.* L. II. c. 11. n. 16. Addit ille, Hebrææ linguæ cognitionem eò magis necessariam esse, quia hebraica nomina in versione passim reperire est, & quia

difficile sit, singula verba ex unâ linguâ in alteram traducere. S. Hieronymus in Epist. 28. ad Lucinium Beticum regulam hanc, Gratiani postea decretis insertam, statuit. *Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ita & novorum Græci sermonis normam desiderat.* Methodum hanc Pater ille in suis tenuit commentariis atque versionibus, ut sensui semper textus ebraici insisteret: ita & reliqui Patres, ut Origenes & Chrysostomus, & apud Latinos S. Hilarius, S. Augustinus & S. Gregorius ad textus originales, & ad versiónes ex fontibus factas similiter in explicandis variis Sacræ Scripturæ locis subinde confugerunt. Omni denique tempore Hebraicæ atque Græcæ linguæ notitia ad intelligendam, beneq; interpretandam Sacram Script. necessara fuit habita. Clemens V. Rom. Pont. hâc de re adeo persuasus atque certus erat, ut in Clementina *de Magistris* putaverit: Ecclesiæ nihil salubrius præcipi posse, quàm ut in omnibus Academiis Professores Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldaicæ linguæ constituantur, qui formare juvenes possent aptosque facere, ad Sacram Scripturam recte intelligendam. Non minus Facultati Theologicæ Parisiensi necessitas studii Linguarum olim adeo cordi ac sollicitudini fuit, ut anno 1530. legem tulerit, quâ cautum erat, ut nemo in posterum ad facultatem Theologicam admitteretur, qui non sufficienti Linguarum notitiâ, Clementinæ I. *de Magistris* & Capiti: *Ut veterum;* conformiter instructus esset. Ipsa quoque experientia docet, quanta sit differentia inter Commentatores Linguarum peritos,

ritos, & inter eos, qui tantummodo in versionibus repunt, & quam longè priores accuratione, veritate, soliditate, novisque inventionibus posteriores antecellant.

Non solum autem commentator in lectione originalium linguarum subsistere debet, sed etiam necesse est, ut versiones conferat, variantesque textus lectiones, qui mendosus esse nonnunquam potest, sed restituendus è versionibus antiquis rectius è Codicibus aliis antiquis & bonis. Hoc Augustinus quoque in de Doctr. Christ. Lib. II. cap. 14. observat: *Plurimum*, inquit, *hic quoque juvat, interpretum numerositas, collatis codicibus inspecta atque discussa, tantum absit falsitas, nam codicibus emendandis primitus debet invigilare solertia eorum, qui divinas Scripturas nosse desiderant, ut emendatis non emendati cedant, ex uno dumtaxat interpretationis genere veniente.* Dedimus jam alibi regulas respectu textus atque versionum observandas, quibus non est, ut denuo hîc immoremur.

Porro si quis Sacram Scripturam bene intelligere desiderat, Augustino monitore ad verborum distinctionem adtendere debet, quia verba per commata & puncta diversimodè separata diversos sensus pariunt, atque ambiguitati ansam præbent; sed hæc plerunque tollitur, aut per textum originalem, aut per antecedens & consequens, quod ad hanc magis, quam aliam punctationem sensum determinat: Atque adeo difficultas hæc cum eâ non est comparanda, quæ ex tropis, parabolis atque figuris in Sacra Scriptura occur-

rentibus oritur. Non sufficit, uti supra diximus, terminos intelligere, sed sensus quoque per tropum, parabolam, & figuram obscurus, & abditus eruendus est; in hoc præcipuam operam atque industriam interpres collocet necesse est.

Scientiarum, rerumque ad Sacram Scripturam pertinentium, e.g. Historiæ, Chronologiæ, Geographiæ, morum atque consuetudinum apud veteres Judæos, nominum item, plantarum, bestiarum, lapidum pretiosorum, uno verbo, terminorum in omnibus artibus ac scientiis in Sacra Scriptura usurpatorum cognitio ad explicandum Sacrum Codicem pariter est necessaria, atque solers interpres harum rerum studio subducere se non poterit, modo sibi, uti jam admonuimus, caveat, ne in earum tractatione omne tempus atque studium impendat, sed succincte sobrieque eas tractet.

Sane Commentarii virorum doctorum, qui in Biblia scripserunt, magno omnibus adjumento sunt, qui Sacros hos libros vel intelligere, vel aliis explicare satagunt. Siquidem infinitæ propemodum difficultates in Commentariis antiquis & recentioribus sublatæ, obscuritates imminutæ, quæstiones discussæ sunt, quas unus homo ne leviter quidem perstringere valuerit, etiamsi à pueritiâ ad decrepitam usque ætatem in illis laboriose desudaverit. Catholici interpretes præferendi sunt, sed amplissimus quoque fructus ex Judæorum aliorumque extra sinum Ecclesiæ oberrantium scriptis capi potest. Satis constat, quam multum Rabbini & imprimis Aben Esra & Kimhi

ad

ad intelligendam Sacræ Scripturæ literam & linguam originalem conferant. Neminem præterit, quam feliciter Nicolaus de Lyra, Isidorus Clarius, Augustus Steuchus, Eugubinus Muisius, Lorinus Tisinus, Menochius aliique Commentatores, facem illis præferentibus, sint progressi, quamque egregia commoda ex illorum explicationibus in Religionis Christianæ pomœrium intulerint. Negari amplius nequit, Protestantium Commentarios multum ad intelligentiam Sacræ Scripturæ prodesse, & Commentatores Catholicos eos subinde consuluisse & sequi. Affirmari denique potest, usum atque morem hunc ab antiquissimis Sacræ Scripturæ Commentatoribus adprobatum esse; siquidem Patres ab initio Ecclesiæ haudquaquam dubitarunt, Judæos atque Hæreticos in subsidium ad intelligendam Sacram Scripturam Veteris Testamenti adhibere. S. Clemens Alexandrinus eos sæpe allegat, eorumque verbis utitur. Origenes quoque explicationum Judæorum & Hæreticorum sæpius meminit, easque bonas interdum pronunciare haud veretur. Audiamus Hieronymum loquentem: „ Origenes, inquit, & Clemens, & „ Eusebius aliique complures, quando de Scri- „ pturis aliqua disputant, & volunt approbare, „ quod dicunt; sic solent scribere: *Referebat* „ *mihi Hebræus*: &, *audivi ab Hebræo*: & *He-* „ *bræorum ista sententia est*. Certe etiam Origenes „ patriarcham Huillum, qui temporibus ejus fuit, „ nominat, & trigesimum tomum in Esaiam illius „ expositione concludit, & quam aliter prius sensisse se dicat, doctum ab illo id quod verius „ „ est

eſt confitetur. Octogeſimum quoque nonum „
„ Pſalmum, qui inſcribitur *Oratio Moſis hominis*
„ *DEI*, & reliquos undecim, qui non habent
„ titulos, ſecundum Huilli expoſitionem ejusdem
„ Moſis putat; nec dedignatur Hebræam Scriptu-
„ ram interpretans per ſingula loca, quid Hebræis
„ videatur, inſerere. Nimirum, S. Hieronymus, qui præ omnibus veteris Eccleſiæ doctoribus feliciſſime in Sacra Scriptura elucidanda laboravit, non ſolum Hebræi textus, ſed etiam Judaicarum explicationum notitiam ſingulari ſtudio ſibi paravit. Ad eam rem Judæum ſibi magiſtrum adſciſcens, qui traditionibus Hebraicis in Sacram Scripturam eum inſtruxit, quarum compendium in Geneſin dedit. Fruſtra ipſi Ruffinus judaicam hanc eruditionem velut degenerem exprobravit, irridet illa opprobria; ſibi vero placet & gratulatur, quod tanto labore eam ſibi comparaverit, Hæreticorum quoque commentariis ſæpe utitur, eosque, nomine tantum ſuppreſſo, ad verbum exſcribit; ſed audiamus ipſum loquentem, quid hâc de re inque ſui defenſionem referat. „ In Com-
„ mentariis, inquit, quas in Epiſtolam ad Ephe-
„ ſios conſcripſi, ſic Origenem, & Didymum, &
„ Apollinarium ſecutus ſum, qui certe contraria
„ inter ſe habent dogmata, ut fidei meæ non amit-
„ terem veritatem. Commentarii quid operis
„ habent? Alterius dicta ediſſerunt; quæ ob-
„ ſcuræ ſcripta ſunt, plano ſermone manifeſtant;
„ multorum ſententias replicant, & dicunt: Hunc
„ locum quidam ſic ediſſerunt, alii ſic interpre-
„ tantur: illi ſenſum ſuum & intelligentiam his

teſti- „

testimoniis & hac nituntur ratione firmare: ut „ prudens lector cum diversas explanationes lege- „ rit, & multorum vel probanda vel improbanda „ didicerit, judicet quid verius sit, & quasi bonus „ trapezita adulterinæ monetæ pecuniam reprobet: „ Num diversæ interpretationis & contrariorũ inter „ se sensuum tenebitur reus, qui in uno opere, quod „ edisserit, expositiones posuerit plurimorum?„

Ex his clarum est, non extra oleam vagari interpretem, si in suo Commentario varias unius loci explicationes à veritate haud alienas recenset, suam de eâ, quam ceteris anteponit, sententiam ferre potest; sed illud non rectè fit, quando aliorum opinionibus dissimulatis, ab aliis cœcum suo judicio assensum exspectat. Id ipsum Hieronymus probat, ubi Ruffinum, morem hunc sibi exprobrantem, depexum dat. *Miror*, inquit, *quod Aristarchus nostri temporis puerilia ista nescieris.* Deinceps institutum, cui adsueverat, suum justificare pergit: „ Quid peccavi, ait, si verbum am- „ biguum diversa interpretatione converti? quid „ Ecclesiasticæ fidei nocet, si doceatur lector, quot „ modis apud Hebræos unus versiculus explane- „ tur? non licebit mihi disputare de verbis & in „ Commentariorum opere Latinos docere, quod „ ab Hebræis didici? „ Eadem deinde dicit de Hæreticis, sive de iis, quos pro talibus habet; de Origene scilicet & Apollinari. „ Didymus, inquit, „ & Apollinaris in Epistolam ad Ephesios pro- „ pria opuscula condidere: quos ego vel trans- „ ferens vel imitans ita lectorem in præfatione com- „ monui: *Sciatis, Origenem tria volumina in* „

„ *hanc*

„ *hanc Epistolam conscripsisse, quem & nos ex parte* „ *secuti sumus. Apollinarium etiam & Didymum* „ *quosdam commentariolos edidisse: ex quibus li-* „ *cet pauca decerpsimus, & nonnulla, quæ nobis* „ *videbantur, adjecimus, aut subtraximus: ut* „ *studiosus statim in principio lector agnoscat, hoc* „ *opus vel alienum esse vel nostrum. Quicquid er-* „ *go in explanatione bujus Epistolæ vitii potuerit de-* „ *monstrari, si ego illud in Græcis voluminibus* „ (Origenis, Didymi, Apollinarii,) *unde in Lati-* „ *num vertisseme dixi, ostendere non potuero, cri-* „ *men agnoscam; & meum erit, quod alienum* „ *non fuerit.* Hæc Hieronymus in Apologia adversus Ruffinum.

Ceterum is quoque non solus est, qui Judæorum & Hæreticorum libris ad explicandam Sacram Scripturam usus est, nonne omnes Patres Græci, Judæi Aquilæ, Theodotionis & Symmachi versiones usurparunt, citaruntque? nonne eos interdum sunt secuti? nonne S. Chrysostomus & Theodoretus sensibus, quos Theodorus Mopsuestenus dedit, suum adjecerunt calculum? Denique, num Catholicis vel unquam crimini versum fuit, quod Judæorum & Hæreticorum rationes ad illustrandam veritatem in medium attulerint? & nonne è contrario gratia hoc facientibus relata fuit, quod ex manibus injustorum possessorum boni quid extorserint, Ecclesiæque, ad quam jure pertinet, restituerint? Hæc quidem de istis.

Porro autem præter opem, à scientiis sive philologicis, sive aliis nostro studio partis depen-

den-

dentem, ſana ratio quoque ad detegendum verum Sacræ Scripturæ ſenſum adhibenda eſt, ſed ſedulo nobis caveamus, ne principio hoc abutamur, & cum Socinianis aſſeramus, pro vero nihil admittendum eſſe, niſi quod ratio & experientia ſenſuum nobis ſuggerat aut evidens faciat: quaſi nullus alius Sacræ Scripturæ ſenſus ſit, quam qui res lumini rationis vel experientiæ ſenſuum conformes, nobis tradat; & quaſi omnia, quæ duobus hiſce principiis contraria ſunt, tanquam falſi & ficti ſenſus rejici debeant; diligenter, inquam, cavere nobis debemus, ne principium hoc tam pernicioſum ad dijudicandam veritatem vel falſitatem rerum in Sacra Scriptura contentarum admittamus. Regula eſt certiſſima, eas occurrere veritates, quas hominis ingenium aſſequi vel comprehendere minime poſſit; cumque ipſius rationis lumen certo fine atque termino circumſcriptum ſit, facile immo neceſſarium eſt, multas captum ejus ſuperare. Certum etiam eſt, quod DEUS occultas nobis veritates revelare poſſit, & quod ad fidem nobis faciendam ſufficiat, eum eas revelaſſe. Itaque hæc non eſt ſufficiens ratio, veritatem claris terminis in Sacra Scriptura expreſſam, rejiciendi, & contendere, quod alium illi termini ſenſum poſtulent, quia ſenſus hic proprius, & naturalis terminorum cum principiis rationis, & experientia ſenſuum difficulter conciliari poſſit: cum enim evictum ſit, in DEUM hoc non cadere, ut falſitatem pro veritate prodat, ſi clarum atque evidens eſt, revelaſſe eum hanc vel illam rem, omnis cauſa de eo dubitandi ceſſat,

vel

vel difficultates, quas ingenium humanum objectare potest, nullius ponderis atque æstimationis sunt. *Fides in DEUM*, ut Paulus II. Cor. X. v. 4. & 5. ait, *omnes ratiocinationes humanas & omnem altitudinem, quæ extollitur adversus scientiam Dei, destruit, & omnem cogitationem captivam ducit ad obediendum JEsu Christo.* Attamen ratiocinatio ad eruendum Sacræ Scripturæ sensum alio modo conducit, quando ad significationem terminorum inveniendam adplicetur, h. e. quando hujus vel illius loci sensum scire cupimus, ad quod ratiocinium magno adjumento est. Nam 1°. de loci alicujus sensu ex intentione atque fine auctoris judicatur. Ratio nos docet, quo sensu verba ejus ad probandum, defendendum vel explicandum id, quod proposuit, conducere possit. 2°. Per rationem judicatur, num locus hic tali sensu explicatus connexionem cum antecedentibus & consequentibus habeat, nec ne? 3°. Per rationem insuper Sacræ Scripturæ locus cum alio comparatur. Perque hanc comparationem de sensu, quem habere potest, judicatur. 4°. Denique ratiocinationis ope cognoscitur, an locus datus hoc sensu explicatus analogiæ fidei sit conformis, h. e. an sibi ipsi vel veritatibus fidei in aliis Sacræ Scripturæ locis assertis, per consequentias non sit contrarius. Hæ sunt regulæ præcipuæ, quas bonus Sacræ Scripturæ interpres sequi debet.

Quod ad methodum adtinet, quam in Commentario Sacræ Scripturæ tenere debeat interpres? de illa pro vario cujusque scopo

varie

varie quoque erit decernendum. Si quis simpliciter textui lucem affundere vult; officio suo satis faciet, ubi scholia vel notas marginales ad explicanda loca, quæ lectorem impedire possunt, adjecerit, sed si quis lectorem in intimos Theologiæ recessus introducere cupit, Commentarios ampliores componere necesse habet, ubi materias pro sua dignitate atque latitudine prolixius persequatur. Sacram Scripturam in usum moralem explicaturus, duplici hoc exequi modo potest, vel cum sensus allegoricos sive mysticos infert: vel cum secundum literam eam explicat, & deinceps ex sensu literali regulas ad usum moralem aut consectaria, quæ per idoneam ratiocinationem inde colligi possunt, deducit: tum vero illos, quos vocant, usus morales præ aliis latius deducit, quæ arctiorem cum Historia nexum habent. Primi generis Commentarii plus ingenii, alterius autem plus soliditatis habere videntur. Priores delectare magis possunt, sed posteriores magis proderunt. Utrique diserti beneque scripti sint, necesse tamen non est, ut eruditione ubique radient. Vicissim autem necessarium non est, ut commentarii, qui explicationem sensus literalis unice spectant, florido charactere sint conscripti, modo eruditionis Judaicæ, Ecclesiasticæ, & Profanæ ad intelligentiam textus necessariæ, non notabiles defectus appareant.

CAPUT X.
De Scripturæ Sacræ ſtudio.

OMnibus equidem Chriſtianis Sacræ Scripturæ lectio ad doctrinam & ædificationem utilis eſt, ſed Theologi peculiarem ad eam diligentiam conferre debent, ad confirmanda Religionis dogmata, ad refutandos errores, & ad regulas doctrinæ chriſtianæ moralis ex ea ediſcendas.

Si quis eam perfecte capere vult, Hæbream, Græcam, atque Latinam Linguas addiſcat oportet; priusquam vero ſtudio huic capeſſendo idoneus ſit, aliquam Hiſtoriæ Sacræ, Librorumque Sacrorum notitiam habeat neceſſe erit. Omnes pueruli ab initio mox ætatulæ, inprimis illi, qui Eccleſiaſticæ functioni alicui dicati ſunt, in Hiſtoria Veteris & Novi Teſtamenti erudiantur. Sit hoc ipſis inter primordia eruditionis præcipuum: deinde ad Librorum Hiſtoricorum & Moralium Veteris & Novi Teſtamenti lectionem admittendis: Sed ſi ſtudio theologico penitus ſunt adplicandi, utile fuerit, initium à lectione Prolegomenorum facere, ex quibus numerum, diviſionem & auctores Librorum Sacrorum cognoſcere, præcipuarumque in Sacra Scriptura quæſtionum notitiam prælibare poſſint, poſt hæc omnes Veteris & Novi Teſtamenti libros cum adplicatione perlegendos illis tradere, adhibito commentario latino, qui difficultates, eos impedientes, tollat, verumque Sacræ Scripturæ ſenſum eis adaperiat.

aperiat. Quotiescunque textum ſacrum relegent (ſtudium namque hoc interrumpi nunquam debet) commentatorem mutare, inque ſingulos libros, qui in ſtudio hoc feliciores melioresque videantur, eligere poterunt: hoc eis ſuffecerit, qui mediocri eruditione contenti fuerint; ſed qui ad ſolidiſſimam Sacræ Scripturæ notitiam adſpirant, illis opus eſt, poſt notitiam Hebrææ atque Græcæ Linguæ haud perſunctorie acquiſitam libros criticos in Sacram Scripturam evolvere, veteres & modernos, Chronologiam & Geographiam addiſcere, ſacram Hiſtoriam cum Hiſtoriâ veteri profanâ conjungere, textum originalem atque variantes lectiones curate legere, cum verſionibus conferre, lectionem Commentatorum veterum & recentiorum, Catholicorum atque Proteſtantium, qui literam explicarunt, ſuſcipere, diſſertationes de diverſis Sacræ Scripturæ quæſtionibus inſpicere, obvenientes difficultates examinare, verumque locorum obſcurorum Sacræ Scripturæ ſenſum, quo fieri modo poteſt, eruere. Quam ob rem nos in ſequentibus meliores utilioresque Commentatores, qui vel in univerſam Sacram Scripturam vel in ſingulos ejus libros commentati ſunt, copioſius ſumus recenſituri.

CAPUT XI.

De Traditionis ſtudio.

CUm Traditio æque ac Sacra Scriptura, uti jam demonſtravimus, Theologiæ funda-

mentum ſit, neceſſe eſt, ut Theologus in ea operam collocet. Id vero ſtudium haud minoris, quam ipſa Sacra Scriptura amplitudinis eſt: tria illud continet capita, Sanctorum Patrum volumina, Conciliorum definitiones, Eccleſiæque Hiſtoriam. Priusquam aliquis opera Patrum juſto ordine ſerieque evolvere aggrediatur; utile eſt, Theologiæ ſaltem prægustum habere, ſed hoc inutile eſt, Theologorum Scholaſticorum lectioni plures annos inſumere, ſufficiet Magiſtri ſententiarum, & unius boni Commentatoris e. g. Eſtii vel ſimilis è recentioribus Theologi lectio. Eodem quoque tempore compendium quoddam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ legendum, ex quo, quid in quovis Seculo præclare geſtum ſit, quæ perſonæ ſanctitate reliquas ſuperaverint, quæ hæreſes & ſchiſmata in eo ſubortæ ſint, quæ deciſiones Conciliorum factæ, & quinam generaliſſimi diſciplinæ Eccleſiaſticæ canones traditi fuerint, videre eſt. Recentium quoque Theologorum peculiares tractatus polemici, doctrinales vel diſciplinares conferendi ſunt, ut primaria Controverſiarum capita, quæque harum quæſtionum deciſioni inſervire poſſunt, ex Patrum lectione capiantur. Amplius & illud dicendum: Prius eſſe in Biographia ſanctorum Patrum & in critico examine ab ipſis editorum nonnihil proficiendum, quam lectio ipſa inchoetur; ne decepti auctorem poſteriorum ſeculorum pro auctore veteri, atque opus ſuppoſititium pro genuino habeamus. Scire quoque conducit, quâ de materiâ quodvis opus compoſitum ſit, ejusque ſummam tenere: multum hoc ad utilem Patrum

lectio-

lectionem conducit, atque inserviunt huc præclare Du Pinii Bibliothecæ auctorum Ecclesiasticorum, ad idipsum scriptæ. Hoc ubi modo auctores atque opera Patrum erunt cognita, porro illi primum sunt legendi, qui ad essentiales Religionis veritates addiscendas magis videntur necessarii; selectus quoque eorum est instituendus, quos respectu variorum munerum, quibus destinamur, penitius sumus inspecturi, neque enim pari necessitate omnia Patrum opera cuique Ecclesiastico sese commendant. Quorum muneris ratio postulat, Religionis dogmata tradere, libris illis, quibus Patres doctrinam fidei adstruxerunt, inhæreant: qui ad disciplinam Ecclesiasticam industriam adplicant, opera eò spectantia consulant: quibus prædicatio verbi incumbit, præcipuum studium in Homiliis Patrum aliisque operibus moralibus collocent: sic quisque opera Patrum professioni atque muneri suo convenientia sibi eliget. At vero illi, qui in omnibus studiorum partibus excellere, Ecclesiæque doctrinam ex primis principiis & perfectissime callere cupiunt; lectioni Patrum per seculorum ordinem totos se dabunt. Lectionis suæ initium in primorum Patrum scriptis contra gentiles, inque Apologiis Religionis Christianæ faciant, & cum hâc lectione auctores modernos, qui de veritate Religionis Christianæ scripsere, conjungant. Deinde scripta Patrum contra primos Hæreticos edita scrutentur, & secundum temporum seriem omnia eorundem opera polemica lustrabunt. Simul particularia disciplinæ Ecclesiasticæ, si quæ ibi occurrunt, & vel

ad Sacramenta, vel regimen Ecclesiæ, vel consuetudines atque cerimonias, in quovis seculo usitatas pertinent, cum curâ atque diligentia annotabunt. Nec tractatus morales atque Commentarios in Sacram Scripturam negligant, ubi multa momenta doctrinalia, moralia, atque disciplinaria reperire est. Omnia denique legant, nilque de rebus ad notitiam doctrinæ atque disciplinæ veteris Ecclesiæ ullo modo facientibus prætermittant. Studium hoc ad duodecimum usque Seculum continuabunt; mittentes tamen spissos commentarios allegoricos, quos nonnulli veterum consarcinarunt, itemque compilationes à recentioribus factas, quorum labor tantummodo in descriptionibus antiquorum consistebat. Ad tempora Scholasticorum ubi pervenerint, lectis aliquot eorum præcipuis, eorumque, qui diversarum scholarum capita habentur, sine multa temporis jactura, inde ad bonarum litterarum in Seculo decimo quinto & sexto restauratores studium conferant. Duo hæc Secula multos bonæ notæ auctores atque præclara opera ipsis suppeditabunt, quæ summa animi delectatione atque commodo erunt perlecturi. Qui controversiis operam impendere gestiunt, latum ibi exercendi se campum habebunt. Seculum decimum septimum majorem etiam numerum Scriptorum de quavis re theologica agentium subministrat; sed necesse erit, non nisi meliores scriptores & præstantiora opera tam in hoc, quam in præcedentibus seculis diligenter seligere; numerus enim eorum tam ingens est, ut impossibile foret, ad unum omnes perle-

perlegere, dantur quoque inter eos, qui ne merentur quidem legi. Inprimis autem ſedulo ſunt legendi cujusvis Seculi auctores eccleſiaſtici & profani, qui temporis hiſtoriam conſignarunt: Præcipuum autem & quod peculiari ſtudio excolendum eſt: Acta ſunt, tum Hiſtoriarum, Legum & Conſtitutionum, Canonumque Conciliorum tam generalium quam nationalium & provincialium, ut & Decreti Gratiani, Decretalium, Principum in rebus Eccleſiaſticis edictorum, atque omnium in genere legum Eccleſiaſticarum lectio accurata. Quod Canoniſtas adtinet, theologica eorum ſcripta ſobrie admodum legi debent: meliorum quædam legiſſe ſufficit, quam viſum atque ingenium tam multorum atque ſpiſſorum Voluminum lectione hebetare. Ne dicam in præſenti de Caſuiſtarum operibus, de quibus alius dicendi locus dabitur; ante omnia tamen auctorum Seculi decimi ſexti atque ſeptimi lectionem commendo, utpote qui peculiares quæſtiones polemicas, doctrinales, diſciplinares, ſive morales ex Sacra Scriptura & Traditione formarunt, aut capita diſciplinæ Eccleſiaſticæ agitarunt illuſtraruntque. Permagnus horum in duobus his poſterioribus Seculis numerus eſt, in quibus ingens quæſtionum momentoſarum examinatarum cumque omni curâ & quantâ, impendi poteſt accuratione deciſarum numerus invenitur. Denique non intra Catholicorum tantum auctorum cancellos ſubſiſtendum eſt, ſed qui Theologiam ex aſſe capere vult, omnium ſectarum ſcriptores promiſcue conſulat, ut vel fructum ab eorum ingenio, ubi

bona dixerunt, percipiat, vel nudum eorum, quod objiciunt, latus cognoscat, seque ad oppugnandum eos, instructum paratumque reddat.

CAPUT XII.

Regulæ ad dijudicandos auctores de quâvis materiâ conferendos.

STabilitis principiis generalibus, in quibus veræ Theologiæ scientia fundata est, variisque methodis eam discendi docendique constitutis, studium hoc secundum varias materias addiscendas variasque intentiones membratim nunc exponendum est. Non sufficit, primas modo studiorum lineas sibi ducere, sed peculiaris quoque librorum legendorum selectus est instituendus, alias in infinitum nos, omnia perlegere cupientes, laborem conjiceremus, nostrumque tempus inutiliter tereremus, si lectioni auctorum obscuriorum, quique reliquos tantum exscripserunt, impenderemus. In selectu hoc præstantiores mediocris eruditionis Theologis anteponendi sunt. 2°. Materias solidissime exhaurientes iis, qui tantummodo illas degustarunt. 3°. Multa paucis dicentes, pauca multis atque per spissa volumina garrientibus. 4°. Licet primis auctoribus inventionis gloria debeatur, bonumque interdum sit, eos legere, interim, quia primis inventionibus semper aliquid additum fuit, materiæque

riæque ab initio adumbratæ modo, ubi penitius in eas inquirebatur, evolutæ postea, inlustratæ, debitoque ambitu pertractatæ fuerunt, prudentia suadet, ut minus diu lectioni priorum auctorum immoremur, sed ad eos speciatim nos conferamus, qui ævo posteriore de iisdem rebus commentati sunt. 5°. Si eadem materia à diversis auctoribus pari dexteritate elaborata fuit, quorum tamen alrer elegantius & methodice, alter horride & confuse scripsit, nullus dubitandi locus est, posteriori priorem esse præferendum. Secundum has regulas de quavis materia theologica auctores allegabimus, quos præ cæteris legendos atque consulendos putamus. Non ea nobis mens sedet, ut judicium nostrum tanquam legem & normam vel ulli obtrudamus, nam errare & præcipua quædam opera omittere potuimus, satis tamen officio nostro fecisse nobis persuadebimus, si de quâvis materia, minimum quosdam meliorum auctorum indicaverimus.

CAPUT XIII.

Libri de Religionis veritate contra Gentiles, Judæos atque Atheos legendi.

PRimum omnium, quæ nosse christianus & accurate tenere debet, est sanctæ Religionis nostræ veritas: ut nempe paratus sit contra Gentiles, Judæos, Mahumedanos, Atheos,

atque impios eam maſcule defendere : Hoc ſine dubio totius Theologiæ fundamentum eſt ; nam ſi noſtra Religio vera non eſſet , inanem de illius dogmatibus atque cerimoniis addiſcendis laborem ſuſciperemus. Verum quidem eſt, nullum nobis in his regionibus cum ethnicis commercium atque certamen eſſe, quod antiquis chriſtianis auctoribus fere quotidianum erat & acre : ſemper tamen eſt neceſſarium ſcire , quibus armis Patres noſtri idololatriam deſtruxerint, Religionem vero chriſtianam, ut vera ſit atque ſancta, demonſtraverint : id quod diſcimus ex antiquis noſtræ Religionis apologiſtis. Hâc de materia legi merentur Joſephi duo libri contra Apionem, in quibus rationes, quæ veritatem Hiſtoriæ Veteris Teſtamenti contra gentiles adſtruunt, accurate congeſtas reperire eſt : item Juſtini duæ Apologiæ, tractatus ejus de Monarchia , tum Exhortatio ad Græcos, & liber contra gentiles ejus nomine inſcriptus ; Tatiani liber contra gentiles, & Athenagoræ Apologia pro chriſtianis ; Theophili tres libri ad Autoliſcum & Clementis Alexandrini Paræneſis ad Gentiles : Porro Tertulliani Apologeticus, opus in hoc genere plane præcipuum cæteriſque multò præſtantius : & ſi quis compendium præcipuarum objectionum Gentilium adverſus Religionem , & ſimul reſponſiones chriſtianorum deſiderat, non poteſt non Minutium Felicem adire, cujus Dialogus cimelium antiquitatis eſt , & arte , & eloquentia , & ingenii acumine expolitum. Perfectius tamen hâc de materia opus ſiſtit Origenes contra Celſum. Arno-

bii

bii ſeptem libri contra Gentiles deſtruendæ magis Idololatriæ, quam erigendæ chriſtianæ Religioni inſerviunt; è contrario Lactantii inſtitutiones vel maxime ad probandam chriſtianæ Religionis axiomatum veritatem conducunt, & ex ejus libro de Perſecutorum mortibus digitus DEI in tuenda cauſa ſua apparet. Si quis denique ampliſſimam hiſtoricorum pro veritate noſtræ Religionis contra Gentiles argumentorum recenſionem expetat, Euſebii libros de Præparatione Evangelica evolvere neceſſe habet. Addantur huic operi accurata S. Cyrilli refutatio librorum Juliani, Prudentius adverſus Symmachum; Hermiæ Irriſio gentilium Philoſophorum; S. Cyprianus in Tractatu de Idolorum vanitate, aliaque veterum ſcripta. Clementis Alexandrini Stromata magnum ex Gentilibus Philoſophis argumentorum apparatum ſuppeditant, quæ ad probandam chriſtianæ Religionis veritatem conducunt. Et Theodoreti duodecim Dialogi de curandis affectibus ſeu morbis Gentilium, eos, qui præjudicio adhuc aliquo erroneo laborant, prorſus liberabunt. Materia hæc contra gentiles à recentioribus auctoribus nondum directe tractata eſt: ſi quis interim originem & progreſſum idololatriæ cognoſcere vult, eruditi Gerhardi Joh. Voſſii hâc de re libros adeat.

Idem opus ad confirmandam Religionem contra Atheos atque impios facere poterit: addendi tamen Tertulliani libri ſunt de teſtimonio animæ, & liber ad Scapulam. Euſebius contra Hieroclem Philoſophum. S. Auguſtinus de Civi-

tate

tate DEI. Theodoretus de Providentia. Ceterum hoc caput contra atheos à recentioribus imprimis auctoribus summo & exquisito studio pertractatum fuit. Ex magno librorum hâc de re conscriptorum numero eligendi Ludovici Vivis de veritate Religionis libri quinque, qui primus materiam hanc methodice tradere cœpit; porro liber exiguæ quidem molis, sed ab omnibus summis exornatus laudibus H. Grotii, de Veritate Religionis Christianæ, item Paschalis cogitationes, (Pensées,) quæ utique ad confirmandam veritatem Religionis Christianæ solidas in se rationes continent. Huetii Demonstratio Evangelica, eruditum plane opus: Abbadie de Veritate Religionis Christianæ liber ob rotundam complexionem, perspicuam methodum atque ratiocinationum adplicationem egregius admodum. Jacquelotus de existentia DEI, qui rationes evidentissimas congerit pro veritate nostræ Religionis. Huc referendi quoque sunt Eugubini Steuchi opus de perenni Philosophia, Arborei Theosophia, Episcopi Tornacensis (Monf. de Tornay) Commentarii de Religione Christiana. Diræsii (Dirois) rationes atque præjudicia pro Religione Lamyi evidens Religionis veritas & Atheismus dirutus, aliique recentiores libelli.

Inter libros contra Judæos speciatim editos, S. Justini contra Tryphonem Judæum dialogo in antiquitate nihil est celebrius. Eò referendus est quoque Tertullianus contra Judæos, & primus atque secundus liber testimoniorum S. Cypriani ad Quirinum. Eusebii Cæsariensis Demonstratio

Evan-

Evangelica Judæis directè opposita. Sex quoque sermones S. Chrysostomi contra Judæos, & unus S. Augustini adversus eos tractatus extant. Subsequentia secula varia atque peculiaria adversus Judæos scripta peperere. Sed primus, qui id data opera egit, & solidissime pertractavit, Raymundus Martini est in Pugione fidei, quem Wilhelmus Porchetus & Petrus Galatinus postea exscripserunt atque amplificarunt; Alphonsi Govis Castrum fidei (la Forteresse de la Foi) ejusdem ferè generis est, æque ac Reuchlinus de verbo mirifico; Genebrardus quoque scriptum haud inutile adversus Judæos edidit, sed adquiescere possumus in istis de Veritate Religionis Christianæ operibus à nobis jam allegatis, scilicet in Grotio de Veritate Religionis christianæ, in Paschalii Cogitationibus, in Huetii Demonstratione Evangelica, in Jac. Abbadie de Veritate Religionis Christianæ, quibus addi possunt Ludovici Ferrandi Reflexiones super Religione Christiana. Hieronymi à Sancta Fide de Fide christianâ deque erroribus Talmudis, Calovii Veritas Religionis christianæ contra Judæos, Hornbeck pro convincendis & convertendis Judæis, Fridericus Spanheimius de Causis incredulitatis Judæorum, deque ratione eos convertendi, &c. Adversus Mahumedanos perpauci auctores calamum ex instituto strinxerunt. Legi possunt Johannis Cantacuzeni Asserriones contra Saracenos, Nicolai Card. Cusani Cribrationes Alcorani, Joannes de Turre Cremata, nonnullique alii tractatus unà cum Alcorano junctim in editione latina Basileæ impressa editi. Conferri merent Frid. Sylburgii

burgii Saracenica: & qui omnes vicit alios diligentia Ludovicus Marraccius ad Alcoranum.

De existentia DEI & immortalitate animæ libri, quod & in numerum scriptorum pro veritate Relig. referri debeant, palam est: quia ista duo huic fundamentum præbent. Hic se Philosophi pariter ac Theologi sedulos præstitere: Asttamen Meditationibus metaphysicis celeberrimi Cartesii nullum in hoc genere præstantius opus, ut reor, extat. Conferri tamen ex antiquitate possunt Tertullianus de Anima. S. Augustinus de Quantitate & Immortalitate Animæ, Claudii Mamerti libri tres de natura & statu animæ, & ex modernis Marsilii Ficini duodeviginti libri de Immortalitate Animæ, Pomponatius de Immortalitate Animæ cum refutatione Augustini Fieræ, Contareni de eadem materia liber, Ludovicus Vives de Anima & Vita, Pinedæ margarita Antoniana, Fromondus de anima, Paulus Rubeus & Alphonsus Spina de immortalitate animæ, Jac. Chevreüil de immortalitate animæ; & inter Protestantes scripta Dav. Chytræi, Georgii Calixti, Theodori Thummii, Joach. Hildebrandi, Joan. Micrælii, porro Henrici Mori libb. de immortalitate animæ; Kenosmi Digby demonstratio de illius immortalitate, Jacobi Thomasii tractatus, & quod originem & creationem animarum adtinet Wagnerekii & Leidteri adversus Sandium scripta.

Ad confutandas superstitiones è gentilismo ortas, Magiam & Astrologiam judiciariam ex antiquis præter ea, quæ veteres diversis locis habent, legi possunt Agobardi liber plane egregius

de

de Grandine & tonitruis adversus eos, qui à sagis talia immitti, morbosque excitari maligne ac insulse credebant: diversa opuscula Jo. Gersonis & Petri ab Alliaco contra Astrologiam judiciariam, & observationes superstitiosas, Sylvester Prierias de Sortilegis, Jacobi Springeri & Henrici Institoris malleus veneficorum, Pici Mirandulæ, l'Esprit Rotierii, & Alexii Porri libri contra Astrologiam judiciariam. Benedicti Pererii libri tres de Magia contra artes falsas atque superstitiosas, Fillesaccius de idololatria Magorum, & si quis velut per diverticulum animi legere quid hac in materia voluerit, Bodini Dæmonomaniam & Gassarelli Curiositates adeat, sed nullam ipsis fidem habeat. Inter Protestantes consuli possunt Nicolaus Hemmingius contra magicos, & Theodorus Thummius de impietate Magorum, de facultate earum nocendi exigua, deque earum pœna; & Ludovicus Lavaterus de Spectris, atque præsagiis.

Fatum quoque seu fatales rerum eventus subinde veteres in suis scriptis refutarunt, sed pauci tantum libri hoc de argumento ex professo scripti sunt e. g. inter antiquos Maximi liber ab Origene & Eusebio citatus itemque Gregorii Nysseni liber, & inter recentiores Grotius & Bartholomeus Franckius de fato & Jo. Schmidius de fatali temporum conditione.

CAPUT

CAPUT XIV.

Methodus ſtudii in Sacram Scripturam collocandi, nec non libri ad hoc ſtudium legendi.

ANnotatum abs nobis jam paulo ſuperius eſt, quod *Sacræ Scripturæ* ſtudium à Prolegomenis ſive à libris criticen Sacram & Sobriam ad Biblia afferentibus incipiendum ſit, ſuppoſito tamen & illo, ut qui ſtudium hoc in ſe ſuſcipiunt, notitiam Hiſtoriæ Sacræ, librorumque ſacrorum habeant. His igitur ſuadendum, ut ab initio legant præfationes S. Hieronymi in fronte Bibliorum Vulgatæ Latinæ præmiſſas, & poſt has legant omnes libros hiſtoricos Veteris & Novi Teſtamenti collatis inſimul commentariis brevibus & facilibus, e. g. Menochii, Tirini, Emanuelis, deinde notis Vatabli & du Hamelii, quæ incipientibus æque ac profectioribus conducunt. Tunc demum in manus ſumant ea omnia, quæ intelligendæ *Sacræ Scripturæ* inſerviunt, eaque accurato ſtudio, magnaque cum diligentia legant opera tot egregia, quæ in hanc rem extant e. g. Ariæ Montani & Waltoni Prolegomena, Bonfrerii, & Serrarii Scripta, Sixti Senenſis Bibliothecæ ſanctæ libros priores. Jo. Eſpierres tractatus: ex recentioribus auctoribus, quæ Huetius in ſua Demonſtratione Evangelica de auctoribus & libris ſacris dixit, item P. Simonis Hiſtoriam Criticam Veteris & Novi Teſtamenti & Scripta Theologorum Belgicorum adverſus hanc Hiſto-

riam

riam Criticam cum Refponfionibus Simonis. P. Lamy Apparatum Biblicum, Prolegomena du Pinii, P. Martianæi Præfationes in facram Hieronymi Bibliothecam. Ad quæftiones vero de auctoritate textus ebraici & Septuaginta virali verfione folidius examinandas, de quibus jam à citatis libris erunt inftructi; Judæi quoque converfi Ifaaci defenfionem hebrææ veritatis Sacræ Scripturæ perlegent, itemque Buxtorfii libros de origine & antiquitate punctorum, Cappelli Arcanum punctationis revelatum, ejusque Criticam; Arnoldi Bootii Epiftolam de certitudine & autentiâ textus hebraici; P. Morini Exercitationes, item de Septuaginta Virali Verfione, Simeonis Muifii fcripta Morino oppofita de textibus ebraicis & Samaritanis, Flaviguii epiftolas; Capelani mare rabbinicum; Ufferii differtationem de Verfione LXX. virali; Valefii Hexapla Origenis, Ifaaci Voffii differtationes de Verfione feptuag. Lightfooti obfervationes in verfionem feptuaginta viralem & quæ Pezronius, Martianæus & Michael le Quien in fuis difputationibus de Chronologia mundi fcripferunt. Si quis denique materiam hanc profundius penetrare cupit, eruditum opus P. Bernhardi Montfauconii de Bibliis Hexaplis fedulo evolvat.

Eft vero Studium Chronologiæ facræ tanti ponderis, ut nullo modo fit negligendum, quandoquidem in maximis rebus prodeft unicuique, qui Hiftoriæ facræ operam, qualem decet, impendit. Huc igitur fi quis animum adplicaverit, lineas fibi generales ducat, atque formet,

ex lectione Chronologiæ sacræ Jacobi Cappelli, item ex Gerhardi Vossii Introductione in Chronologiam Sacram; Vitrei Tabulis Biblicis, & Petavii Rationario temporum. Hi libri inquam, ad primas quidem Sacræ Scripturæ lectiones viam monstrant, sed si quis materias has in intimioribus suis recessibus investigare cupit, scrutari debet Scaligeri Thesaurum temporum, Petavii doctrinam temporum, Usserii Annales, Marshami Canonem Chronicum, Pezronii antiquitatem temporum restitutam & defensam cum Martianæi & le Quienii scriptis oppositis; & P. Harduini Chronologiam Veteris Testamenti per nummos restitutam.

De Geographiâ sacrâ, quæ ejusdem cum Chronologia necessitatis est, compendium statim quoddam Geographiæ sacræ legi, vel oculi in tabulam saltem terræ sanctæ conjici possunt. Sed qui perfecte eam callere cupit, post lectionem librorum Eusebii & Hieronymi de locis ebraicis, quos Martianæus Tomo II. Operum Hieronymi inseruit, evolvet Adrichomii Theatrum Terræ sanctæ, Nicolai Samsonis & Eilhardi Lubini notas geographicas in Sacra Biblia, Casp. Varrerii dissertationem, & Huetium de terra Ophiritica, doctissimi Bocharti Phaleg & Chanaan, it. quod restat ipsius de Paradiso terrestri, & Huetium de eodem argumento. Quod ad magnitudinem & formam arcæ Noæ adtinet Buteo, Mattheus Hostus & Pelletierius lectoris curiositati abunde satisfacient. Operibus his Postelli Cosmographia terræ sanctæ jungi poterit.

Ubi

Ubi ad Tabernaculum, Templum, & vestimenta sacerdotalia ventum fuerit, descriptio evolvi potest Ariæ Montani in suis Prolegomenis, Villalpandus in suo in Ezechielem Commentario, Ribera, & Sturmius in Tract. de Templo & amplissimus P. Lami tractatus, quo mensuram templi prolixe ostendit.

Amplius vero ad intimiorem Sacræ Scripturæ cognitionem opus est, nosse mores, consuetudines, festa atque leges veterum Hebræorum ac modernorum. De antiquis Cunæus, Sigonius, Menochius, Bonaventura, Cornelius, Bertranus, Seldenus, Buxtorfius in Lexico Talmudico, Lightfootus, Spencerus, Jonstonus, Pfeifferus aliique egerunt; de recentiorum Judæorum moribus Leo Modenensis per Richardum Simonem versus atque auctus, & Buxtorfius in Synagoga, quæ scitu necessaria sunt, abunde suppeditant.

De ponderibus & mensuris Sanctus Epiphanius ex antiquis, ex recentioribus Ludovicus Alcasar, Matthæus Hostus, Marquardus Freherus, Jacobus Cappellus, Petrus Gassendus, Casp. Waserus, Daniel Angelocrator, Eduardus Brevewodus, Lancelotus in Bibliis Vitrei P. Lami & Pelleterius Rothomagensis, copiose scripserunt.

Catalogum Hæresium Judaicarum texuit; S. Epiphanius: conferri vero quoque hac de re possunt, Serrarii Trihæresium, Scaliger & Drusius de sectis Judæorum, & Pfeifferi liber de tribus Judæorum hæresibus: de arte Cabbalistica le-

gendi ſunt libri Reuchlini : de linguâ Helleniſtica, Heinſius, & Salmaſius : de verſione vulgata Sutoris & Leonis de Caſtro Apologiæ, Jo. Mariana Jeſuita, & qui de Concilio Tridentino in capite de Vulgata egerunt, nec non Sixtini Amamæ Cenſura Verſionis Vulgatæ. De modo Sacram Scripturam interpretandi ex antiquis Tichonii ; è reliquis Adami Sasbouthi, Lindani, Dannhaueri Regulæ : De interdicenda Sacræ Scripturæ lectione Liceti, Eſprit Rotierii & Ledesmæ Jeſuitæ ſcripta ; de ſuadenda & concedenda Neercaſſel & Arnaldus de lectione & interpretatione Sacræ Scripturæ, item Uſſerii & Henrici Whartoni Hiſtoria dogmatica de Scripturis & Sacris vernaculis. De Idololatria fictisque gentium Diis, quorum in Sacra Scriptura mentio fit, Voſſius & Seldenus : de animalibus, Bocharti Hierozoicon, Lightfootus, Seldenus : tum vero auctores diverſi de veſtimentis, metallis, cibis, fructibus, aromatibus in Sacra Sciptura nominatis ; & denique Wilhelmus Ader & Thomas Bartholinus medici de morbis Biblicis, aut quorum Evangeliſtæ mentionem faciunt. Legi quoque cum utilitate poſſunt Druſii animadverſiones & diſſertationes ; Vorſtii diſſertationes ſacræ ; Cocceji Conſiderationes : Vitringæ & Gatakeri Obſervationes ; Carthwight in libros ſacros, Pfeifferi Critica, ejus de antiquitatibus ebraicis libellus, Witſii Miſcellanea ſacra, &c.

Ipſum jam Sacræ Scripturæ textum ut quis ſolide indaget, à lectione fontium i. e. hebræi Veteris & græci Novi Teſtamenti incipiat neceſſe

eſt,

est, eum deinceps cum versionibus & paraphrasibus in Polyglottis Anglicanis conferat, quæ collatio utilior sæpe est, majoremque rei lucem infert, quam vasti commentarii. In pertractando texu Biblico consulantur, qui lectionum varietatem notarunt, tam in textu Hebræo, quam Samaritano & Græco, imo & in versionibus, ut fecere Flaminius Nobilius, Robertus Stephanus, Franc. Lucas Brugensis, Jo. Hentenius, Franc. Junius, Paulus Fagius, Samuel Petitus &c.

Commentatorum numerus ad tantam multitudinem accrevit, ut impossibile sit, eos omnes perlegere. Fatendum est, antiquorum plurimos dum sensum allegoricum & moralem solummodo sectentur, ad intelligentiam Sacræ Scripturæ sensus literalis parum conducere; excipiendi tamen sunt S. Chrysostomus, S. Hieronymus, & Theodoretus, quorum commentarii præcipue Theodoreti, & Literæ criticæ S. Hieronymi in permulta Sacræ Scripturæ loca sedulo atque diligenter legendi sunt: certe enim in epistolis Hieronymianis plura, quam in ipsis commentariis occurrunt. In media ætate nullum alium auctorem in universa Biblia adhibendum habemus præter Glossam ordinariam, cum Postillis Nicolai Lyræ & Pauli Burgensis. Quod ad modernos spectat, præcipui in SacramScripturam commentarii inCollectionibus Parisiensi & Londinensibus continentur, quos consulere poteris, scilicet Biblia magna, Critici sacri Anglicani, & Matthæi Poli Synopsis Criticorum; ex tribus his operibus Sacræ Scripturæ solida indagatio atque perfectior intelligentia hauriri po-

teſt: collatis nimirum inter ſeſe diverſis explicationibus, quas auctores eruditi in dictis collectionibus de difficilioribus locis dederunt, habitoque, delectu explicationum earum, quæ ſenſui genuino magis convenire videntur. Optandum eſſet fortaſſis, ut quis ad laborem hunc in compendium redigendum breviores dediſſet notas, quæ paucis verbis & absque repetitione ea, quæ in his operibus comprehenſa ſunt, complecterentur, id quod auſus eſt, nec infeliciter perfecit P. Calmetus egregiis ſuis commentariis in univerſa Biblia: Attamen, cum conſultius multo ſit, proprio Marte notitiam hanc ſibi comparare, tria, quæ diximus, Collectionum magnarum volumina ad accuratiorem Sacræ Scripturæ intelligentiam neceſſario utique perlegenda, minimum conſulenda erunt.

Præterea præſtantiores quique Commentatores in ſingulos Sacræ Scripturæ libros eligendi ſunt e. g. in Pentatevchum; S. Hieronymi Commentarii & quæſtiones Hebraicæ; Steuchi Eugubini, Hieron. Oleaſtrii, Jac. Bonfrerii & Janſenii Commentarii. In Geneſin Peirerius; Lorinus in Leviticum & Devteronomium; Maſius & Serarius in Joſuam; Arias Montanus, Serarius & Bonfrerius in librum Judicum: Bonfrerius, Quinquarboreus & Carpzovius, in Ruth: Serarius & Sanctius, in libros Regum & Paralipoménων: Caſpar Sanctius, in libros Eſdræ & Nehemiæ atque Tobiæ: Fridericus Nauſea, Serarius & Fabianus Juſtinianus in Tobiam, Serarius Sanctius & la Cerda in Judith cum defenſione Hiſtoriæ Judith per Bernhardum Montfauconium; Serarius, Fevarden-

vardentius Sanctius & Cuperus in Esther; Steuchus Eugubinus, Ferus, Titelmanus, Mercerus, Corderius, Codurcus, Coccejus & Spanheimius in Jobum; Jansenius Ep. Gandavensis, Genebrardus, Folengius, Bellarminus, Maldonatus & imprimis Muisius in Psalmos; cum Davidis Kimchi commentario: quibus jungi possunt Ferrandi Bossueti, Episcopi Meldensis & du Pinii notæ. Jansenii Yprensis Episcopi notæ in Proverbia; cum Commentariis Arborei, Agellii & Maldonati. Oecumenius, Ferus, Johann Mercerus, Arboreus, Titelmanus, Maldonatus, Lorinus & Jansenius Episcopus Yprensis in Ecclesiasten; Agellius, Aretius, Genebrardus, Caspar Sanctius, Libertus Fromondus, Ludovicus Leonensis, Maldonatus, & Ep. Meldensis Bossuetus in Canticum Canticorum: Jansenius Ep. Gandavensis & alter, Yprensis in libros Sapientiæ, prior in librum Ecclesiasticum cum notis Hoeschelii editum. In Prophetas omnes Cornelius à Lapide, Calovius. In Esaiam Forerius, Leo Castrius, Hieronymus Oleaster, Aug. Varenius: in Jeremiam Ferus, Christophorus à Castro Maldonatus, Petrus Martyr & Coccejus; in Ezechielem Villalpendus, Sanctius, Maldonatus & Vitringa; in Danielem Faber Stapl. Peterius, Arias Montanus, Maldonatus, & Martinus Geierus: & in septuaginta hebdomades Daniel Helvicus, Angelocrator, Josephus Medus, & Alixius; In duodecim Prophetas minores Catharinus, Arias Montanus, Mercerus, Tarnovius, Petrus Martyr, Vermilius: Serarius, Arigelius & Albertus Gentilis in Maccabæo-

 rum

rum librum. In totum Novum Testamentum Faber Stapl. Cardin. Cajetanus, Arias Montanus, Gagnæus, Henricus Holdenus, Ab. Calovius, Jac. Cappellus, Dan. Heinsius: in Evangelistas, Hentenius, Titelmannus, Maldonatus, Jansenius Episcopus Yprensis, Spanheimii Dubia Evangelica, Lightfooti Horæ Hebraicæ; Jansenii Episcopi Gandensis itemque Arnaldi & P. Lami Concordia IV. Evangelistarum cum notis: it. Caroli Maria de Veil in Matthæum; in Acta Apostolorum Lorinus, Benedictus Pererius, Daniel Arcularius, Georgius Calixtus, Ludovicus de Dieu, Carolus Maria de Veil; in omnes Epistolas Paulinas atque Canonicas, Oecumenius, Jansenius Gandensis, Sasbouthus, Estius; Ludovicus de Dieu in Epistolam ad Romanos; Thena in Epistolam ad Hebræos; in Apocalypsin Peirerius, Vega, Ribera, Bossuetus Episcopus Meldensis, & du Pinius, cujus opus explicationem Apocalipsεως simplicem & literalem cum dissertationibus curiosis de diversis rebus in se continent; ut nihil nunc de pluribus auctoribus dicam, qui varia Sacræ Scripturæ loca difficilia explicarunt, quos inter Estius est, Antonius Nebrissensis, Franciscus Moncajus, Lacerda, Martinus del Rio, Simeon de Muis, Cornelius Bertramus, Sixtinus Amama, David Clericus, Nicolaus Fuller, Joh. Robinson, Joh. Dougtheus, Josephus Medus, Jo. Ligthfootus, & qui peculiares de diversis quæstionibus tractatus formarunt, ut Nicolaus de Lyra, Paulus Burgensis, Sennertus, Waltherus, Drusius, Ludovicus Cappellus, Erpenius, Gatakerus & Hack-

spa-

ſpanius, de Nominibus divinis; item diſſertationes P. Calmeti, explicationi ſingulorum librorum Biblicorum præmiſſæ, ubi materiæ optimè ſunt elaboratæ, pluresque alii particulares libri, quorum Catalogus in recenſione ſeu indiculo operum ſecundum ordinem materiarum diſpoſitorum, quem infra dabimus, conſpicietur.

CAPUT XV.

De Studio Traditionis.

OPtimus Traditionem è fontibus ſuis hauriendi modus eſt, legere per Seculorum ordinem Patrum opera, Acta & Canones Conciliorum, atque Hiſtoriam Eccleſiaſticam. Eapropter, ubi quis, ſicut dictum jam ſupra eſt, prægustamen aliquod hauſerit Patrum aut Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ex compendio quodam hiſtorico vel critico e. g. ex noſtro (Du Pinii) Breviario Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Bibliotheca auctorum eccleſiaſticorum, ex hiſtoria Fleurii, Petavii Rationario Temporum, Cavei Hiſtoria litteraria, tum ſine omni ambage lectio originalium incipi poteſt: & quidem ante cetera, ſtudio accurato Euſebii Hiſtoria Eccleſiaſtica cum doctiſſimi Valeſii notis legenda eſt, terenda deinceps genuina Patrum in tribus prioribus Seculis ſcripta, quæ non adeo multa ſunt, ſed omnia à capite ad calcem uſque attentè perlegenda, exceptis Origenis in Sacram Scripturam comentariis atque homiliis, quas vel fugitivo perluſtrare oculo ſatis eſt. Sunt ex reli-

reliquis nonnulla, cum utilitate sæpius etiam relegenda e. g. S. Justini duæ Apologiæ, S. Irenæi libri, Tertulliani Apologeticus, liber de Præscriptione, it. de Pœnitentia, Baptismo atque Oratione; Minucii Felicis Octavius, Epistolæ atque opera Cypriani.

Ubi ad Seculum quartum perventum fuerit, Lactantii Institutionibus, atque libris Eusebii de Præparatione & Demonstratione evangelica perlectis, tota incumbat lectio operibus Athanasii, S. Hilarii fragmentis cum præfatione Nicolai Fabri, tum libri cum Hilarii adversus Constantium, it. de Synodis: S. Basili Epistolis. Jungi his possunt historici, Socrates, Sozomenus, Theodoretus & Philostorgius, quorum lectionem ita continuabimus, ut mensuram progressûs intra seculum, quo quisque eorum historiam scripsit, ponamus: neque omitti potest aut debet lectio librorum S. Epiphanii atque Philastrii de Hæresibus. De disciplina hujus Seculi Conciliorum canones perlustrandi sunt, quibus S. Paciani Epistolæ, multæ item S. Basilii, & Ambrosii libri jungantur. Ad moralem Theologiam S. Basilii & S. Gregorii Nazianzeni conciones, & Ambrosii commentarii inspiciendi sunt. Qui ex quinto Seculo doctrinam moralem exquisiverint, opera S. Chrysostomi haud præteribunt; verum cum nulla urgeat necessitas, ut studio huic æque ac reliquis inhæreamus, diversis temporibus, & per otium absque historicæ lectionis & connexionis interruptione legi possunt. S. Chrysostomi vita per Palladium scripta, S. Hieronymi Epistolæ & Apologiæ, Ruffini

fini Histor. Ecclesiast. Invectivæ & Apologiæ exquisitâ diligentiâ sunt perlegenda. Priusquam ad S. Augustini opera accedamus, Optati Milevitani libros atque monumenta Historiæ Donatistarum inservientia in ultima editione collecta, legisse jam par est. Augustini Epistolæ iteratam sæpius lectionem merentur, peculiares quoque ejus in primo atque sexto tomo tractatus attentè legi debent; sed ante omnia ejus adversus Hæreticos scripta, inprimis contra Manichæos, Donatistas & Pelagianos evolvenda sunt: eodem tempore Historiæ Pelagianorum per Vossium, Usserium, atque Norisium, item per Gamerium perque Benedictinos Parisienses consignatæ, nec non litteræ Concilii Africani hâc de re scriptæ cognoscendæ sunt. Pelagianis Nestoriani succedunt, historia eorum tam ex historicis modo dictis, quam ex actis Concilii Ephesini atque libris Marii Mercatoris & Eutherii Tyanei, ex Cyrillo & Theodoreto petenda sunt. Nec omittenda sunt in hoc Seculo scripta, Synesii, item S. Isidori Pelusiotæ epistolæ, in quibus multa egregia inveniuntur. Non est, quod ad lectionem Epistolarum S. Leonis, atque Prosperi librorum lectorum cohortemur, in vulgus auctores isti noti sunt. Victoris Vitensis Historia Persecutionis Vandalicæ lectu prorsus est necessaria; usurpanda maxime ultima hujus libri editio, cum historia Vandalorum atque notis Theodorici Ruinarti. Legendæ insuper in hoc seculo sunt Severi Sulpicii Historia Ecclesiastica S. Paulini Nolani Epistolæ, nec non opera S. Eucherii Lugdunensis atque Salviani Massiliensis,

liensis, Claudius Mamertus de statu animæ, Faustii Rejensis, & Vigilii Tapsensis scripta, tum Sidonii Apollinaris epistolæ: item Gennadii Massiliensis tractatus de Scriptoribus, & de Fide, seu dogmatibus ecclesiasticis: Vincentii Lerinensis contra Hæreses Commonitorium, item Julianus Pomerius, ut nihil nunc de Chalcedonensis Concilii actis, Conciliorum canonibus Paparumque literis dicam, quæ omnia cum reliquis simul auctoribus legenda præsuppono. Seculum sextum non æque egregiorum virorum ferax fuit. Interim non intactæ relinquendæ sunt Aviti Viennensis, & Ennadii Ticinensis Epistolæ; Fulgentii Afri opera, Cassiodori Institutiones divinæ, Gregorii Turonensis Historia, S. Jo. Climaci Scala. S. Gregorii M. opera doctrinam quidem moralem egregie ornant, at cum instituitur cursoria velut per secula lectio, epistolæ illius perlectæ sufficiunt. Absoluta sic ex fontibus sex priorum Seculorum auctorum atque historicorum genuinorum lectione, non erit abs re, historiam denuo eandem ab ovo, quod ajunt, repetere, legereque in hunc finem Annales Ecclesiasticos Baronii, Centuriatores Magdeburgenses, aliosque auctores, qui vel in totum vel ex parte historiam sex Seculorum pertractant. Huc faciunt Godofredi Hermantii vitæ sanctorum aliquot doctorum, Nani Tillemontii Commentarii ad Historiam Ecclesiasticam, ut & Antonii Pagi Critica ad annales Baronii, quæ magnum utique hac in re usum præbebunt. Subsequentibus seculis Historia cujusvis seculi ex Baronii, aliorumque annalibus prius,

quam

quam ex auctorum tunc viventium operibus, lectu alioquin dignis, petenda est. Septimum seculum exiguum modo eorum numerum suppeditat, qui assiduam lectionem merentur: nonnulli Isidori Hispalensis libri, S. Maximi vita & acta, Marculphi formulæ, Ildefonsi Toledani opera ferme sola adtentâ lectione digna sunt. Octavo Seculo historia Pauli diaconi, Caroli Magni capitularia, Alcuini & Paulini Aquilejensis contra Elipandum opera celebriora, quæ Occidens dedit sunt, quæ Oriens, S. Jo. Damasceni opera cum laude nominanda veniunt. Nonum Seculum plures auctores tam in Oriente quam in Occidente producit, quorum opera lectu digna sunt, in Oriente scilicet Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha, Theodorus Studites, Photius: in Occidente duo Amalarii, Metensis & Trevirensis; Leidradus, Dungalus, Jonas Aurelianensis, Agobardus, Rabanus, Maurus, Walafridius, Strabus, Amulo Lugdunensis, Hincmarus Rhemensis, Paschasius Ratbertus, Ratramnus, (aliis Bertramus,) Prudentius Cassinensis, Florus, Lupus Servatus, Remigius, Autissidoriensis, Aimoinus, Auxilius, Regino &c. Reperiuntur omnia scripta hujus Seculi de Gratia & Prædestinatione composita, ab utraque parte in causa Gotteschalci in Gilberti Mauguini Collectione Paris. 1550. edita. Decimum Seculum priori multo est sterilius, nonnulli tamen ibi se ingerunt haud contemnendi auctores, e. g. Ratherius Veronensis, Hatto Basileensis, Flodoardus, Luitprandus Ticinensis, reliqui. Undecimum in Occidente tulit S. Fulber-

tum-

tum Carnotenſem, item Berengarianas lites, in Oriente lites Paparum Romanorum cum Patriarcha Conſtantinopolitano Michaele Cerulario nobis ſiſtit, quam in rem legenda ſunt ſcripta utrinque edita. Sunt etiam hujus ſeculi opera Lanframi Cantuarienſis, Guitmundi, Petri Damiani, Anſelmi, &c. Duodecimo Seculo Theologia ſcholaſtica cœpit, nihilominus tamen nonnulli auctores in eo vivebant, qui antiquitatis ſpeciem præ ſe tulerunt, e. g. Godofredus Vindocinenſis, Steph. Tornacenſis, Petrus Abælardus, Petrus Venerabilis & S. Bernardus Patrum poſtremus, cujus Epiſtolæ & tractatus præ reliquis omnibus ſunt legendi. Ruperti Tuitienſis, Roberti Pulleni, Richardi atque Hugonis de ſancto Victore opera ab iis, qui Theologiæ dogmaticæ operam dant, non ſunt negligenda. Decimo tertio Seculo præter S. Bonaventuram, & S. Thomam Aquinatem nulli fere ſunt, qui à Theologis legi merentur. Decimum quartum Seculum plures particulares hiſtorias continet, e. g. Philippi Pulcri cum Bonifacio VIII. diſcordiam, Templariorum condemnationem, Romanorum & Avenionenſium Paparum ſchiſma, in Oriente autem Palamitarum diſſenſum. Legendi ergo ſunt auctores, qui res iſtas literis conſignarunt earumque Hiſtoriam poſteris tradiderunt. Hiſtoria Concilii Conſtantienſis, Baſileenſis atque Florentini maximum in Seculo decimo quinto momentum conficiunt, præclaros inſuper auctores ævum hoc aluit e. g. Petrum de Alliaco, Joannem Gerſonem, Nicolaum de Clemangis & Waldenſem, quorum opera haud ſegniter ſunt evolvenda.

venda. Decimum sextum Seculum fœcundiorem bonorum auctorum segetem dat, e. g. Johannem Reuchlinum, Desiderium Erasmum, Ludovicum Vivem, Jo. Fischerum, Thomam Morum, Jodocum Clicthovæum, Jo. Eckium, Ambrosium Catharinum, Fr. Victoriam, Melchiorem Canum, Johannem Arboreum, Georg. Cassandrum, Jac. Pamelium, Claudium Espencæum: multisque præterea aliis auctoribus exornatum fuit, quorum erudita scripta, ab eis, qui ad consummatum notitiæ Ecclesiasticæ culmen adspirant, nunquam satis legi relegique possunt. Decimum septimum Seculum inexhausto mari comparari potest, nam vix ac ne vix quidem hominis ætas ad lectionem omnium operum in eo enatorum sufficeret. Fatendum tamen est, plures inveniri, qui laborem imminuunt, materiamque in compendium redigunt, solideque omnia pertractant, adeo ut si quis perfectam cognitionem imbibere velit, satis sit, eorum modò opera consulere. Itaque non opus esse videtur, nec decimi sexti, nec septimi scriptores unâ serie perlegere, sed sufficit, si in materiam quandam inquiritur, ut ad eos, qui optime eam elaborarunt, recurratur, quod ipsum nunc de quavis materia particulatim indicabimus.

CAPUT

CAPUT XVI.

De totius Theologiæ Studio.

PRiusquam Theologiæ ſtudium, quis adgrediatur, principia atque fundamenta, quibus illa ſuperſtructa eſt, regulæ, quas ſequi debemus, loca, unde rationes ſeu argumenta vere Theologica petenda, atque modus, ad quem res iſtæ tractandæ, probe noſcenda ſunt; hoc ex Auguſtini libris addiſcere poſſumus, de utilitate credendi deque fide rebus incomprehenſibilibus habenda, ex Vincentii Lerinenſis Commonitorio, ex quibusdam Gerſonis operibus, ex Clemangis libro de ſtudio Theologico, ex Eraſmi methodo veræ Theologiæ, ex Nicolai Cuſani docta ignorantia, ex Melchioris Cani locis Theologicis, ex Hyperii ſtudio Theologico recte formando, quem Villavicentius dein exſcripſit, ex Davenportii Syſtemate fidei, ex Henrici Holdeni Analyſi, ex Mabillonii de ſtudiis monaſticis, ejusdemque Doctrina chriſtiana atque orthodoxa, & ex Joſephi Mariæ Thomaſii Indiculo inſtitutionis Theologicæ.

Opera dein legantur, in quibus præcipua Religionis dogmata generatim tradita ſunt; e. g. ex veteribus Origenis libri *περὶ ἀρχῶν* ſeu de principiis, S. Cyrilli Hieroſolym. Cathecheſes, Ruffini Expoſitio Symboli; Auguſtini libri de vera Religione, de moribus Eccleſiæ, de fide rerum incomprehenſibilium, Enchiridion ad Laurentium & explicatio Symboli. Gennadius de dogma-

dogmatibus ecclesiasticis: & ex media ætate Isidori Origines sive Principia, Joh. Damasceni fides Orthodoxa, S. Anshelmi opera, Hugo, Richardus de S. Victore, & Magister sententiarum Petrus Lombardus. Ex recentioribus denique meliorum Theologorum nonnulli eligantur, e. g. Estius Ludov. Thomassini & Dionysii Petavii Dogmata Theologica. Duhamel & Herminier Theologicæ institutiones. Qui Theologiæ Scholasticæ studio dare se totos cupiunt, finita præcipuorum scholasticorum lectione, e. g. Roberti Pulli, Alexandri de Hales, Alberti Magni, S. Thomæ, Scoti, Occami, Durandi à S. Porciano cujusvis scholæ celebriores eligant, quorum sententias addiscant.

Licet Theologi catholici ad Protestantium doctrinam componere se haud debeant, expedit tamen, ut qui exercitatiores evadere cupiunt, præcipua eorum opera Theologica conferant, ubi in dogmatibus nobiscum communibus utilia sibi invenient, quæ autem sanæ doctrinæ contrariantur, usus postulat, ut opiniones horum Theologorum eorumque rationes, quibus utuntur, cognoscant, quo evitare, infringere atque refutare eos possint; evolvi itaque poterunt Loci Theologici Phil. Melanchtonis, ejusque Apologia Aug. Conf. ipsa Confessio Augustana, liber Interim, seu Formula in Comitiis Augustanis A. 1548. protrusa, Jo. Gerhardi Loci Theologici, Calvini, Joh. Forbesii à Corse, & Simonis Episcopii Institutiones noxiores licet, & nonnisi exercitatiorum Theologorum manibus committendæ.

CAPUT XVII.

Quinam libri de Trinitate, Incarnatione, Angelis sanctis & Imaginibus legendi?

UBi ad Theologiæ partes descenditur, de attributis divinis nihil aliud legendum est, quam quod in Theologiis generalibus traditur. Quod ad Trinitatem attinet, veterum Patrum contra Sabellianos, Arianos &c. lectio præsupponitur, scil. Tertulliani contra Praxeam, Novatiani de Trinitate, Eusebii contra Marcellum Ancyranum, S. Athanasii libri dogmatici, S. Hilarii libri 12. de Trinitate, Victorini & Phœbadii scripta, Didymi liber de divinitate Spiritus Sancti, S. Basilii & S. Gregorii Nyss. scripta contra Eunomium; S. Gregorii Naz. plures sermones, S. Augustini de Trinitate libri ejusque contra Maximinum Arianum tr. nec non Fulgentii, Vigilii Tapsensis & S. Maximi de Trinitate.

Hausta ex his fontibus orthodoxâ doctrinâ cognitâque ex Scholasticis & Theologicis de hoc mysterio judicandi atque loquendi ratione, illi nunc legendi sunt, qui Trinitatem contra novos antitrinitarios defenderunt, qui consubstantialitatem & æqualitatem trium divinarum personarum, divinitatem Filii & Spiritus S. contra eos probarunt, quique ad objectiones eorum responderunt e. g. Petavius secundo Tomo Dogmatum Theolog. Jo. Hornbeckius contra Socinianos, Josua de Placeus in disputationibus, Georg. Bullus in defen-

sione

ſione Fidei Nicænæ; Boſſueti Ep. Meldenſis animadverſiones, Cordemoi de eâdem materia liber, Jacobi Abbadie de divinitate JEſu Chriſti. Si cui forte novum Fayditii Syſtema legere volupe eſt, refutationem Hermanni Hugonis & quæ contra regeſſit Fayditus, inſpiciat. De quæſtione proceſſus Spiritus S. à Patre & Filio Petri Pithœi Hiſtoriam confer. it. Concilii Florentini acta, Sylveſtri Sguropuli Hiſtoriam & tractatus aliorum Græcorum, quos Leo Allatius de hac quæſtione in Græcia Orthodoxa edidit: De locutione *Trina Deitas* Gotheſchalci & Hincmari ſcripta. De quæſtione, num dici poſſit, *unum è Trinitate paſſum?* Vide monachorumScythicorum epiſtolam unà cum reſponſione Epiſcoporum Africanorum, it. Jo. Maxentii ſcripta, tum Henrici Noriſii diſſertationem de hac controverſia, ejuſque apologiam monachorum Scythicorum.

De incarnatione lectionis initium à veterum de hoc myſterio operibus fiat, uti ſunt: Tertullianus de carne JEſu Chriſti S. Athanaſii libri de Incarnatione, ejusque ad Epictetum & Adelphium litteræ. Gregorii Nazianzeni Oratio quadrageſima ſexta, ejusque binæ ad Cledonium epiſtolæ. S. Gregorii Nyſſ. duo contra Apollinarium libri, S. Chryſoſtomi epiſtola ad Cæſarium monachum, Caſſianus de incarnatione, S. Cyrilli & Theodoreti opera, Concilii Epheſini & Chalcedonenſis acta, & Lupi Servati faſciculus epiſtolarum, Vigilii Tapſenſis contra Eutychem quinque libri, Gelaſii adverſus Eutychem & Neſtorium liber, S. Leonis ad Flavianum Epiſtola Concilii

quinti anatematismi, ſexti Concilii definitio, Facundus Hermianenſis, Leoncii atque S. Maxencii opera. De quæſtione duarum in Chriſto voluntatum videantur acta & definitiones conciliorum, Paparumque epiſtolæ. De quæſtione, an Dominus Noſter JEſus Chriſtus, ſecundum humanam naturam ſit Filius DEI naturalis, an per adoptionem? vid ſcripta Alcuini, Etherii, Paulini Aquilenſis & Agobardi contra Felicem & Elipandum cum definitione Concilii Francofurtenſis, & nonnulla Photii de voluntatibus JEſu Chriſti, atque incarnatione ſcripta. Inſuper legi poſſunt Theologi è Scholaſticis nonnulli, de incarnatione, it. Petavii & Thomaſſini dogmatum tomi. Quod ad diſputationem de divinitate JEſu Chriſti cum Socinianis attinet, in præcedenti jam articulo auctores hâc de quæſtione legendos indicavimus: de ſatisfactione JEſu Chriſti præter ea, quæ in Petavii dogmatibus ſunt obvia, conferri poſſunt S. Bernhardus contra P. Abælardum ad Innocentium II. item Jo. Mariæ Capellæ liber, Grotius & Tarnovius, Velnuſius & Turretinus de ſatisfactione JEſu Chriſti contra Socinianos: Ut in quæſtionem de Ubiquitate corporis JEſu Chriſti, vel de illius in omnibus locis præſentia altius quis immergatur, neceſſum non eſt, cum illa nunc ab omnibus ferè miſſa ſit.

Paucis quoque de Angelis inquirendum eſt, & quidem ea, quæ in compendiis theologicis extant, ſufficere poſſunt. De reſurrectione corporum legi poterunt libri Athenagoræ & Tertulliani S. Gregorii Nyſſ. S. Ambroſii atque S. Chryſoſtomi,

ſoſtomi, Anaſtaſii, item Sinaitæ diſcurſus & Æneæ Gazæi dialogus: poſthæc Theologos hâc de re tradentes conſulas, conferri quoque merentur Georgii Calixti, Abr. Calovii, Jo. Gerhardi & Henr. Hottingeri de reſurrectione libri. Quæ judicium extremum & antichriſti regnum concernunt, non alte nimis indaganda ſunt: interim evolvi poteſt Hier. Maggi liber de exuſtione mundi atque ultimo judicio, Thomæ Malvendæ magnum opus de Antichriſto & Hug. Grotii de eodem brevis liber; legenda quoque eorum ſcripta ſunt, quæ de æterna damnatorum pœna, contra Socinianos agunt. De Purgatorio Polemicos adeas, & inter alios Bellarminum, Bartholomeum Valverdam, & Leon. Allatii conſenſum Eccleſiæ Græcæ & Latinæ in dogmate de Burgatorio: ut & le Quieni in S. Jo. Damaſcenum annotationes, & du Pinium in Apocalypſin: iidem quoque Polemici de cultu & invocatione Sanctorum conſuli poſſunt: Garetii collectanea locorum è Patribus hâc de re: Jo. Heſſelii liber pro Sanctorum invocatione, Nicolaus Faber atque Davenportius de invocatione ſanctorum cultuque imaginum. P. Mabillonius de cultu ſanctorum ignotorum, & de Lannoji cura Eccleſiæ de ſeparandis fictis reliquiis, falſisque officiis. Plures etiam veterum auctorum de ſanctorum cultu prolixe commentati ſunt, e. g. S. Epiphanius in ſua ad Johannem Hieroſolymitanum epiſtola, Jo. Damaſcenus & Theodorus Studita in ſcripris ea de re data opera editis. Imprimis acta Conciliorum Conſtantinopolitani, Nicæni ſecundi, Francofurtenſis, atque Pariſien-

ſis de imaginum cultu legenda ſunt, nec non libri ſub Caroli M. nomine editi, item Claudii Taurinenſis, Dungalli, Jonæ Epiſcopi Aurelianenſis & Agobardi de imaginibus ſcripta Materia hæc fuſius à Polemicis pertractata fuit, & inter alios ab Ambroſio Catharino, Alano Copo, Nicol. Sandero, Jac. Gretzero, Bartholom. Vaverda; maximam vero partem eorum, quæ apud antiquos de imaginibus dicta ſunt, in Dallæi libro de imaginibus reperire eſt. De perpetua Mariæ virginitate vide ſis Ambroſium *de Inſtructione virginum*, ejusque epiſtolam quartam, Siricii Epiſt. contra Jovinianum & Bonoſum, quæque S. Hieronymus & S. Epiphanius ſcripſerunt, prior contra Helvidium & Jovinianum, & poſterior contra Colliridianos & Antidico-Marianitas. S. Chryſoſtomus de virginitate, Ildefonſus Toletanus de perpetua Mariæ virginitate, Paſchaſii Ratberti & Ratramni de nativitate JEſu Chriſti libri. Innumeri fere libri, qui de conceptione Mariæ Virginis in lucem protruſi ſunt, lectu inutiles, non opus eſt, ut evolvantur. Suffecerit S. Bernhardi ad Canonicos Lugdunenſes Epiſtola, Petrus de Alliaco contra Monteſonum, Facultatis Theologicæ Pariſienſis Cenſura de Conceptione. Cajetanus de immaculata conceptione, Bandelius contra decretum Concilii Baſileenſis atque Tridentini, quæque hiſtorici tradunt, quos inter Richerius in ſua Conciliorum hiſtoria. Maldonati litteræ, & de Launoji præſcriptiones. De aſſumtione Virginis ex unâ parte Jolii & Launoji ſcripta extant, ex altera parte Lavocat & Gaudinus materiam hanc exhauriunt. Nec oblivioni

traden-

tradenda Episcopi Tornacensis Salutaris instructio B. Virginis ad insulsos sui cultores unà cum epistola pastorali & Bailleti liber de cultu Mariæ deferendo.

Caput XVIII.
De Controversiarum Studio.

Qui dogmatibus nostris studium atque operam impendit, libros, uti jam diximus, adversus Hæreticos illa impugnantes compositos evolvat, e. g. de Trinitate scriptores adversus Arianos: de Mysterio incarnationis adversus Nestorianos & Eutychianos, Acephalos, Monothelitas, & Severianos scripta: de Gratia adversus Pelagianos & Semipelagianos auctores: de Sacramentis aliisque rebus controversis scriptores adversus Waldenses atque Protestantes; utile tamen est, peculiare tempus eorum auctorum lectioni destinare, qui vel adversus omnes Hæreses in genere, vel adversus aliquos tantum in specie scripserunt e. g. S. Irænei quinque contra Hæreses libri, item, quæ extant aliorum contra hæreses, Philastrii Epiphanii, Augustini, Theodoreti, Honorii Augustodunensis scripta, Thomæ Waldensis Doctrinale fidei Catholicæ, Alphonsi à Castro liber contra Hæreses, Gabrielis Prateoli Catalogus Hæreticorum; legendi quoque sunt, qui adversus Waldenses & Albigenses calamum strinxere, ut S. Bernhardus, Petrus Venerabilis, Herbertus, Enervinus, Ecbertus Scho-

naviensis, Eberhardus Bethunensis, Ermengandius Bernhardus Abbas Fulcadensis, Picdorfius, Alanus de Insulis. Petrus Valcernensis, Lucas Tudensis, Reinerius Sachonus, & Claudius Seyssel, & nonnulli denique controversiarum generalium cum Protestantibus Tractatus, quorum selectus est instituendus, laterem namque lavaret, qui omnes controversiarum libros rimari vellet. En antesignanos præ reliquis legendos: Eckii atque Cochlæi & nonnulla Erasmi adversus Lutheranos scripta, Thomas Waldensis, Lindani Panoplia Evangelica, Mich. Bajus contra Marnixium, Jodoci Coccii thesaurus catholicus, Cardinalis Perronii Opera Bellarmini Polemica, e. g. Alexipharmacum, Jansenii Episcopi Yprensis spongia contra Voëtium, Fratrum Walenburchicorum controversiarum libri, Nicolii Præjudicia itemque de unitate Ecclesiæ & tractatus de Reformatis schismatis convictis, Bossueti Ep. Meldensis Historia Variationum in Ecclesiis Protestantium, Apologia pro catholicis, & Ant. Arnaldi annotationes in Sponii Epistolam, item Langevini infallibilitas Ecclesiæ in omnibus suis capitibus. Expedit quoque nonnullos Lutheranorum & Sacramentariorum libros polemicos legere, modo diu illis haud immoremur. Nec illos libros prætereas, qui unionis atque pacis ineundæ gratia compositi sunt, e. g. Cassandri consultatio, ejusque libri de pii hominis officio, Grotii ad hanc consultationem notæ cum omnibus ejus scriptis, quos in earum defensionem adversus Rivetum edidit, imprimis votum ejus pro pace. Matthias Bredenbachius de

M 5 mediis

mediis dissensuum in Ecclesia componendorum. Bellaji duarum religionum unio, Veronii methodus, Fabrii argumenta invicta, Ep. Meldensis Bossueti expositio fidei, Pelissonii cogitationes de diversis Religionibus & nonnulla alia.

CAPUT XIX.

De Prædestinationis, Gratiæ atque Libertatis articulorum studio.

TAm multi circa controversiam de Gratia, Libero Arbitrio & Prædestinatione in lucem prodierunt libri, ut studium hoc, per se ipsum difficile, in immensum excreverit. De peccato originali præterea, quæ Theologi in suis Summis scripserunt, peculiares de originali peccato tractatus Othonis Cameracensis, Maldonati atque Baji conferri possunt; & si quis privatas sententias, & quorundam hâc de re vagas opiniones, & excessus nosse cupit, legat Henr. Cornelii Agrippæ de Peccato Originali declamationem, tum tractatus Zwinglii, Stephani Curcellæi, & Wittackeri, item Andreæ Fricii Modrevii &c. Lutheranorum quoque disputationes, quas de natura hujus peccati (in causa maxime Flaciana) inter se invicem habuerunt, conferri possunt.

S. Augustinus ejusque discipuli, S. Prosper & S. Fulgentius cum auctore libri de Vocatione Gentium principales Gratiæ doctores sunt, quorum opera ad noscendam eorum doctrinam legere oportet.

opottet. Jungi his poſſunt Marii Mercatoris Commonitorium, Pauli Oroſii liber de arbitrii libertate: S. Leonis Epiſtolæ quædam, Conciliorum adverſus Pelagianos, Africanorum inprimis definitiones: ſimul quoque Gerh. Jo. Voſſii & Cardinalis Noriſii de Pelagiana hæreſi Hiſtoriæ evolvantur. Ad cognoſcendam Semi-Pelagianorum ſententiam Caſſiani Collationes & Fauſti Regienſis opera inſpiciantur. Quod ad diſputationes noni Seculi, Hincmari Rhemenſis, Amolonis, & Lupi Abbatis Ferrarienſis libri, Mauginiana auctorum Seculi V. collectio ſupra jam indicata, quæque Sirmondus & Ludovicus Cellotius de Hæreſi Prædeſtinatiana tradidere, ſufficient. Antiquiores inter Theologos, qui de Prædeſtinatione, Gratia & libero arbitrio quæſtiones agitarunt, Seculo XIV. Thomas Bradwardinus unus eſt è copioſiſſimis & æſtimatiſſimis in opere grandi de Cauſa DEI. Præter hos inſpici legique poſſunt, qui tempore Lutheri de libero arbitrio ſcripſere, e. g. Laurentius Valla, Hochſtratenus, Deſiderius Eraſmus, Hieronymus Hangeſtus, Joannes Driedo, Alb. Pighius, Ambroſius Catharinus, Jacobus Sadoletus in ſuo in Ep. ad Romanos commentario. Hi principia Auguſtino multum contraria in doctrina Prædeſtinationis atque Gratiæ foverunt, interim eorum lectio non eſt omittenda: Dominicus Sotus in libro de Natura & Gratia longè aliam viam iniit. Claudius Eſpencæus, Nicol. Sanderus, Jo. Maldonatus, Flaminius Nobilius, Chriſtophorus Cheffontanius, (à Capite Fontium) Claudius de Sainetes, & Jo. Cochlæus nova-

novatorum erroribus refutandis præcipuam operam posuerunt. Jo. Hesselius vero, Mich. Bajus, Libertus Fromondus & Facultates Theologicæ Lovaniensis & Duacensis originem Disputationibus & occasionem dederunt, quæ ab eo tempore inter Thomistas atque Molinistas, inter Jansenium cum asseclis ac defensoribus atque alios Theologos his adversantes, Jesuitas &c. hucusque magno fervore agitatæ fuerunt. Nihil nunc de infinitis ab utraque parte scriptis dicemus, suasores tantum Theologis erimus, ne quæstionibus his nimium, prout aliqui fecerunt, inhæreant, sed ut præstantiora tantum utriusque partis opera ad cognoscendam disputationum historiam perlegant. Idem pene dicendum est de contentionibus Gommaristas inter & Arminianos agitatis. Sed non opus est, ut omnia eorum scripta ab utraque parte legantur, sed ea tantum, quæ familiam inter ipsos ducunt, ut Synodi Dortracenæ definitiones: Dallæi liber de Gratia Universali, & Ludovici le Blancii Theses, &c. De Justificatione, bonorumque operum meritis optimi antiquorum Polemicorum libri sunt Cajetani, Catharini, Casp. Contareni, Sanderi, Maldonati, Vegæ, Baji, Joh. Lensii & Stapletonii; & multo prolixior tum acrior est inter recentiores liber Ant. Arnaldi, quem inscribit, Eversio doctrinæ moralis JEsu Christi, per Calvinistarum doctrinam de Justificatione; cum scriptis Apologeticis, quæ adjecit. Lutheranorum & Calvinistarum opera de hac materia conferri itidem possunt. Imprimis libri Osiandri, Flacii Illyrici, Wigandi, Kortholdi, Lyseri, Calixti,

lixti, Theodori Bezæ, Amiraldi, Paræi, Hoſpiniani, Forbeſii, Blancii theſes, & nonnulli recentiores auctores, qui Arnaldo reſponderunt.

CAPUT XX.

De ſtudio circa Sacramenta tam in genere, quam in ſpecie.

DE Sacramentis diſquiſitio ampliſſima eſt & profundiſſima, eo, quod de quâvis materia in iisdem contenta, praxis atque doctrina Eccleſiæ à ſuis originibus repetendæ ſunt & examinandæ: noſtro tamen tempore per inſignem præſtantium operum copiam in compendium ſtrictius omnia contracta ſunt, ubi traditionis Eccleſiaſticæ de quâvis materiâ Synopſis facta eſt. En eos, in quorum lectione maximam ſtudiorum partem colloces.

De Sacramentis in genere & ſpecie ſecunda Juſtini Apologia agit, Cyrilli Hieroſolym. Catecheſis; Liber de Sacramentis Ambroſio vulgo adſcriptus, ejusdem Ambroſii liber de initiandis: Jo. Chryſoſtomi Homilia 83. in Mattheum, S. Gaudentii Brixienſis Catecheſes; auctores, qui Seculo IX. de officiis & ritibus egerunt, Melchior Canus, Alanus, Bajus, Maldonatus, Eſtius, Bellarminus & Caſp. Ivenius: de intentione miniſtri in adminiſtrandis Sacramentis, deque charactere, quem imprimunt, Catharini libri, Voſſii præfatio libri de Baptiſmo, Antonius de Dominis de Sacramentis.

De

De Baptiſmo Tertullianus, prima S. Cypriani ad Donatum Epiſtola, S. Baſilii duo libri, S. Gregorii Nazianzeni trigeſimus primus & ſecundus ſermo, S. Chryſoſtomi de Bapt. Homilia, S. Fulgentii ad Ferrandum Epiſtola de baptiſmo Æthiopis moribundi, Theologorum Catholicorum tractatus, quos in articulo præcedente de Baptiſmo nominavimus, & peculiaris de Bapt. liber Gerhardi Jo. Voſſii, à Theologis Catholicis æque & Proteſtantibus eodem pretio habitus. De quæſtione de Baptiſmo Hæreticorum legendæ ſunt Cypriani & Firmiliani Epiſtolæ, liber in S. Cypriani operibus, de reiteratione Baptismi ab hæreticis adminiſtrati, obvius, S. Auguſtini de Baptiſmo liber, ejusque reliqua adverſus Donatiſtas ſcripta. Launojus & Combefiſius de Concilio Plenario, quod pro virtute baptiſmi Hæreticorum decidit: & Davidis ad Launojum reſponſio. De baptiſmo infantum Cochlæus, Bonderius, & Caſſander, poſteriorisque adverſus Anabaptiſtas diſſertationes. De ritibus & ceremoniis baptismi Amalarius Theodulphi Abbatis Floriacenſis, Leidradi, Ep. Lugdunenſis, Jeſſæi, Ambianenſis, & Odilberti opuſcula: Joſephi Vicecomtis obſervationes eccleſiaſticæ, Launojus de tempore ſolemni adminiſtrationis Baptiſmi, deque infantum judaicorum, baptiſmo, & Dallæi primus de cultibus religioſis liber, Marianus Victorius de Æthiopum baptizandi more: De ſtatu infantum ſine baptiſmo morientium, Caſſandri diſſertationes, Florentius Contius, Grancolas de Peccato originali, du Pinii diſſertatio in fine Analyſis Apocaly-

calypſεως, & cæteri Theologi quæſtionem hanc excutientes : de baptiſmo infantum, qui vel ante præfinitum tempus naſcuntur, vel illorum de quibus dubitandi locus eſt, Hieronymi Florentinii diſſertatio, P. Harduini tres diſſertationes, quarum prior de baptiſmo pro mortuis, cui Spanheimii de eâdem materia addenda, ſecunda de Baptiſmo in vino, & tertia de baptiſmo in nomine Chriſti adminiſtrato.

De Sacramento Confirmationis peculiares evolvantur libri Sanbeuvii (de Sainte Beuve) P. Morini, Dallæi, Henrici Hammondi, Lucæ Holſtenii, quibus ſcripta Petri Aurelii, & Jac. Sirmondi de Canone Concilii Arauſicani : & de cerimoniis hujus Sacramenti Vicecomitis obſervationes, Baſilii Poncii tres ad Priuſium epiſtolæ, & ſecundus Dallæi de cultu religioſo liber adjungi poſſunt.

Infinitus librorum Polemicorum, Criticorum, & Moralium de Euchariſtia numerus datur; reſtringi tamen ad paucitatem poteſt, lectis namque noni & undecimi Seculi de Sacramentis contoverſiis, de præſentia reali legiſſe ſufficiet Garetii collectionem teſtimoniorum è Patribus, Gropperi librum de S. Cœna, Claudium de Sainetes, Eſpencæum, Perronium de Euchariſtia & ejusdem Perronii explicationem locorum S. Auguſtini de eâdem agentium. Leon. Allatii concordiam Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis, Antoniique Arnaldi tres de perpetuitate fidei tomos, cum Abbatis Renaudoti continuatione. His peculiares nonnulli tractatus addi poſſunt, Richardi Simonis liber de fide

fide Orientalis Ecclesiæ, Harduinus de Sacramento altaris, & Petri de Marca opuscula posthuma de Eucharistia. Si quis vero argumenta omnia, quæ præsentiæ reali opponi possunt, in cumulum collecta cernere vult, Edmundi Aubertini tantum de Eucharistia opus perlegat, de quo jure dici potest, si quis librum inde pro Ecclesia Romana excellentissimum vellet conficere, nihil requiri amplius, quam ut argumenta probantia in objectiones, & objectiones in probantia convertat. Objectiones contra Romanam fidem colligi quoque possunt è libro de S. Cœna Jo. Claudii; item Thomæ Smithi de doctrina Græcæ Ecclesiæ, & Abbadie Animadversionibus: ad notitiam dissensionum Lutheranos inter & Sacramentarios seu Calvinianos Hospiniani Historia Sacramentaria atque Concordia discors adhiberi.

De adoratione Eucharistiæ in specie, Claudius Espencæus, & Jac. Boileau videantur. Larroquani Historia Eucharistiæ multarum rerum collectionem complectitur, quibus auctor male utitur, sed quæ judicio præditis magno esse usui possunt.

De Sacrificio Missæ Garetii Collectanea, Gropperum, Alanum & Bajum consulas.

De statu JEsu Christi, quo in Eucharistia præsens sit, Gentiani Herreti & Maldonati literæ agunt.

De verbis consecrationis vid. Christophor. Chessontanium, sive à Capite fontium, aliorumque hâc de re libellos.

De

De natura ſanguinis JEſu Chriſti in glorioſo ſuo corpore & in Euchariſtia, Jacobi Boileau & Petri Alexii diſſertationes.

De quæſtione communionis ſub unâ vel duplici ſpecie vid. Gerſonii, Nicolai Cuſæ, Gropperi, Jo. Heſſelii, Georgii Caſſandri Davenportii, Nihuſii, Boſſueti Ep. Meldenſis, & Graneolæ libri & qui adverſus communionem ſub unâ ſpecie ſcripſerunt, Georgius Calixtus, Frid. Majerus, & Math. Larroquanus.

De ritibus in celebranda Euchariſtia ad antiquos recurrendum eſt auctores, qui de officiis eccleſiaſticis egerunt, e. g. ad Caſſandri & Pamelii Liturgica, Vicecomitis obſervationes, Codurcum de ſacrificio Miſſæ, deque communione, Gabrielis Albaſpinæi obſervationes, Card. Bonæ liturgica, Jo. Mabillonii tres liturgiæ Gallicæ libros, & præfationem ordinis Romani Vertii (du Vert) diſſert. de vocabulis Miſſæ & communionis, it. de ceremoniis Miſſæ Epiſtolam, Grancolæ & Bocquilloti liturgias, Dallæi de cultu relig. ſeptem libros. Larroquii hiſtoriam & nonnullos alios tractatus.

De Miſſis particularibus, legantur Sanderus, Tilius, Eſpencæus, de celebratione Miſſæ du Pinii tractatus.

De expoſitione Venerabilis Sacramenti, Thiers.

De communione ad ſupplicium mortis damnatorum, Molanus.

De communione laica & peregrina, Albaſpinæus & Antonius de Dominis.

De

De frequenti Communione Arnaldus, Petavius & nonnulla alia ſcripta in utramque partem ventilata.

Sacramentum pœnitentiæ ampliſſimam quoque rerum materiam in ſe complectitur, hinc à permultis aliis perveſtigatum fuit. Antiquitas nobis tradit Tertullianum, S. Cyprianum, S. Ambroſium, S. Pacianum, Victorem Cattennenſem, & permultos Conciliorum canones; media ætas multa pœnitentialia; & ultima tempora Theologos, Polemicos, Criticos & Aſceticos, qui omnes in materiam hanc inquiſivere. Joannis Morini commentarius hiſtoricus de Pœnitentia omnia fere hâc de re dicenda comprehendit, ideoque multâ diligentiâ volvendus eſt; addi huic poteſt Jo. Heſſelii Hiſtoria abrogationis Pœnitentialium, Albaſpinæi obſervationes, Fileſaccus de Pœnitentia, Jac. Sirmondi Hiſt. de Pœnitentia publica, Arnaldi traditio Eccleſiæ de Pœnitentia, Jo. Dartis de Pœnitentia, Marcæ diſſert. de Pœnitentia, Varetus de Pœnitentia publica. Cui quæſtiones Scholaſticæ in deliciis ſunt, Melchioris Cani ſex de Pœnitentia lectiones modo conferat.

De attritione & contritione vid. Cajetanus, Vivaldus, Launojus, Lupus, Queras, Boileau, Epiſcopus Caſtorienſis, & Joh. Schwitzer.

De confeſſione & abſolutione plura Gerſonii opp. Cajetanus, Eraſmus & Latomus Fileſatius, Davemportius, Boileau, Natalis Alexander, & P. Sammarthanus contra Dallæum, quem ultimum tamen unà legere utile fuerit.

De ſatisfactione legantur libri de Pœnitentia publica, quæque contra Dallæi librum de ſatisfactione ſcripta ſunt.

De excommunicatione Gerſonius, Cajetanus, Evillonii (d'Eveillon) de Cenſuris Eccleſiaſticis, & du Pinii diſſertationes de Excommunicatione.

De indulgentiis Polemici copioſe ſcripſerunt, ſed Maldonati liber præ reliquis doctrinâ excellit.

De Sacramento extremæ unctionis ſequentium librorum lectio ſufficiet: Launojus, Sanbeuvius, & Dallæus, nec non Drapieri diſſertatio, in qua demonſtratur, quod Parochi, ſeu curiones miniſtri hujus Sacramenti ordinarii ſint.

Sacramentum Ordinis atque Ritus ad id pertinentes nemo ante Joan. Morinum penitius eſt perſcrutatus, quapropter Diſſertationes ejus de Ordinatione atque Ritualibus, quas edidit de omnibus quæſtionibus, quæ hoc in negotio enaſci poſſunt, lectorem abunde informabunt: conſulas quoque Thomam Campegium de conſecratione Epiſcopi per Schiſmaticos, Uſſerium de manuum impoſitione, deque verborum ſolemnitate in ordinationibus uſitatis & librum de Sacerdotum & Epiſcoporum differentia.

De Matrimonio ab antiquis Patribus diverſas habemus traditiones. Canoniſtæ ad principia moralia iſtud examinarunt, idque ſolum ſectati ſunt, quod in Matrimonio ad leges civiles & eccleſiaſticas pertinet; Theologi autem in naturam hujus Sacramenti, atque in poteſtatem eccleſiaſticam de Matrimonio inquiſiverunt. In poſteriorum

rum horum numerum referri quoque illi possunt, qui peculiares de quæstionibus matrimonialibus tractatus ediderunt. e. g. Cajetanus & Catharinus de Matrim. Erasmus de divortio, pluresque alii, occasione caussæ Henrici VIII. editi libri. Roberti Cenalis Axiomata de divortio, Thomas Campegius de indissolubilitate matrimonii hæreticorum, Espencæus, Petrus Thyræus & Turrianus de matrimoniis clandestinis, Marcæ dissertatio de Matrimonio, Launojus, Galesius, Gerbasius & Boileau de potestate Regum & Ecclesiæ in impediendis matrimoniis, Gentianus Herretus & le Merre de Matrimonio filii familiæ. Omnes denique casus in causa matrimonii dabiles in Semelerii Collationibus (les Conferences du P. Semelier) soluti offenduntur.

Caput XXI.

De Disciplinæ Ecclesiasticæ studio.

Disciplinæ Ecclesiasticæ studium haud inepte magno assimilaveris corpori, quod in plura membra divisum est. Addiscitur illa præcipue ex Conciliorum canonibus, ex epistolis canonicis, ex Patrum de distinctis disciplinæ capitibus agentium scriptis, ex auctoribus de officiis & Ritibus Ecclesiasticis, atque eis denique, qui generales de Disciplina Ecclesiastica tractatus ediderunt, ut eruditissimus P. Ludovicus Thomassinus, cujus prolixum opus ob ingentem rerum, quibus adimpletus est, numerum, magni æstumandum est. Canonistarum studium illis tantum-

modo uſui fuerit, qui ejusdem ſunt profeſſionis; Theologis ſufficit Juris Canonici corpus cum quibusdam bonæ notæ commentariis, Sanctio Pragmatica, Regumque Galliæ cum Romanis Pontificibus de bonis eccleſiaſticis pactorum liber, quem Galli Concordat vocant, & Van Eſpen Jus Eccleſiaſticum. Priusquam autem iſta capeſſas, non abs re fuerit, Fleurii inſtitutiones in Jus Eccleſiaſticum, Lancelotti inſtitutiones Juris Canonici cum notis Doujatii & de Roie inſtitut. Jur. Can. legiſſe. Qui Gratianum ſumſerit legendum, Antonium Auguſtinum de emendatione Gratiani ſimul conferat, & ad ſolidam Juris Canonici Græcorum cognitionem multum conducet peculiare ſtudium Nomo-Canonis Photii, Zonaræ, Balſamonis, & quæ alia in Collectionibus Canonum Juſtelli & Voelli, it. Berevergii habentur, quæ quicquid eſt eximium in Græcorum Jure Canonico comprehenſum exhibent. Ad Occidentale ſeu Latinum Jus Eccleſ. legantur codex Canonum Eccleſiæ Univerſalis, codex canonum Eccleſiæ Africanæ, nonnulli libri codicis Theodoſiani cum notis Jac. Godofredi, Fulgentii Ferrandi Breviatio Canonum, & Dionyſii Exigui collectio: item Regum Francorum capitularia ex editione Baluzii; item Reginonis opus de Diſciplina Eccleſiaſtica, Decretum Burchardi, Ivonis Carnotenſis liber Decretorum; Panormia ſeu Summa Decretorum, & Epiſtolæ.

De Hierarchia legi poſſunt Hallier, Iſaacus Habertus, Dionyſius Petavius, Lud. Cellotius, Petrus Aurelius, Jo. Dartis, Jo. Launoji & Valeſii Diſſer-

Dissertationes in sextum canonem Concilii Nicæni: Morinus de origine Patriarcharum & Primatum; Facultatis Theolog. Parisiens. censura contra Vernantium cum argumentis; du Pinii dissertatio de Patriarchis & Exarchis. De auctoritate Conciliorum generalium atque Papæ, Petri de Alliaco, Gersonii, Clemangis, Almaini, Card. Cusæ, Alberti Pighii, Card. Poli, Bellarmini, Simonis Victoris, Richerii, & Launoji libri. De adpellatione ad S. Sedem, David, Jo. Gerbasius, Boileau, & Christianus Lupus, Indicia Canonica Episcoporum, & du Pinii dissertationes. Iidem scriptores legantur de primatu & prærogativis S. Sedis atque Papæ, deque temporali & Ecclesiastica potestate, jungi his possunt Barclaji Patris & Filii libri, Card. Perronii oratio cum refutatione Jacobi Regis Angliæ, nec non scripta circa hanc Angliæ Regis responsionem opposita sibi mutuo Bellarmini & Windringtoni: porro Miltoti & Bedæ libri, nec minus collectio Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Petri de Marca Concordia Sacerdotii & Imperii; Frevreti liber de abusu; Marci Anton. de Dominis opus de Rep. Eccles. Blondellus de primatu Ecclesiæ; Salmasii de Primatu Papæ in Ecclesia, tum plura alia in Goldasti Monarchia contenta, vel post eam separatim impressa. De provinciis Suburbicariis libri Salmasii & Sirmondi aliquot. Pauli Sarpii, aliorumque doctissimorum Italorum tractatus de Venetorum interdicto, deque nonnullis aliis particularibus quæstionibus, cum pluribus Arnaldi libellis adversus Papæ infallibilitatem, & quæ in recentioribus disputationibus subinde nascuntur.

De dignitate Episcoporum vide Blondelli Apologiam pro sententia S. Hieronymi de distinctione Episcoporum atque Presbyterorum, & Henrici Hammondi Dissertationes de Juribus Episcopatus contra Blondellum, item Natalis Alexandri contra eundem, quæque eo de negotio Joh. Morinus, & alii quidam Theologi Catholici scripsere; it. defensionem Clevii, de Episcopatu per Valerium de Flavigny. De auctoritate Episcoporum legatur Petrus Aurelius, Nicolaus Magister, Bonichonius, Episcoporum Andegavensis & Sylvanectensis (Mess. d'Angers & de Sens) defensio auctoritatis episcopalis, aliaque hâc de re scripta. De Officiis eorum S. Jo. Chrysostomus de Sacerdotio, S. Gregorii Pastorale, Petri Damiani nonnulla opera, S. Bernhardi considerationum libri, Bellarminus de officio Episcopi, Claudii Espencæi digressiones in Epistolas Pauli ad Timotheum & Titum, Andr. Saussaji Panoplia Episcopalis. De sede eorum Cajetanus, Catharinus, Thomas Campegius, Gent. Hervetus & Claudius Placeus (de la Place.)

De vita & moribus Clericorum innumeri libri generatim agunt. Ex illis antiqui legendi, & novorum nonnulli seligendi sunt: Cœlibatus Clericorum quæstionem discusserunt Cassander, Wicelius, Thomas Campegius, Clictoveus, Gardinerus, Turrianus, Nicolaus Faber, Natal. Alexander, Georgius Calixtus omnia, quæ Cœlibatus legi opponi possunt, collegit; quapropter laborem haud inutilem suscipiet, quisquis librum hunc cum Catholicorum responsione comparaverit.

De

De Universali morum & disciplinæ Eccesiasticæ emendatione, præ reliquis inspice Petrum de Alliaco, Gersonem, Nicolaum de Clemangis, Petrum Damianum, Durandum de habendorum conciliorum modis: Alvarum Pelagium de Planctu Ecclesiæ, Consilium Cardinalium, aliorumque à Paulo III. ad reformandam Ecclesiam legatorum, Gentiani Herveti litteras, nonnullaque alia modernorum scripta, e. g. Antonii Godeau discursus de ordinibus.

De beneficiis, reditibus ecclesiasticis, pensionib', resignationibus, annatis, respectu fori externi, Canonistarum nubem habemus; Theologo sufficiet, sequentes legisse, Paulum Sarpium, (Fra-Paolo) de Beneficiis, Joannem Dartis & Halesium, it. Rich. Simonem de reditibus Ecclesiasticis, sub nomine Hieronymi â Costa latentem: De pluralitate beneficiorum Ant. Dadinum ab Altaserra, Dominicum à Soto & Josuam Placeum: De Annatis Launojum & Galesium: De Commendis, quas vocant, Ecclesiasticis Abbatem fiduciarium, (commendataire P. Delfau,) quæque in utramque partem scripta sunt, cum tractatu, cui titulus est: *Defensio beneficiorum fiduciariorum atque Curionum.* (Defense des Commendes & des curez primitifs.) De jure Regaliæ Pinsonium, & quæ in Collectione Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ de eodem scribuntur, tum Petri de Marca, quæ habet in Opere Concordiæ; scripta Episcopi Apamiensis; librum de Causa Regaliæ (la Cause de la Regale discutée) atque dissertationem Natalis Alexandri.

De Simonia Canoniſtæ & Caſuiſtæ multa tradiderunt, interim ea ſufficiunt, quæ Jus Canonicum habet, queis Chriſtiani Lupi de Simonia Monaſteriorum diſſertatio, & Ancillonii atque Launoji ſcripta jungenda.

Ritus ſive Cerimoniæ officii divini partem diſciplinæ conficiunt; de hoc argumento octavo atque nono Seculo plures auctores ſcripſerunt, quorum Collectio in uno voluminum Bibliothecæ Patrum & Pariſienſis & Colonienſis habetur; legi quoque hac de re meretur Guilielmi Durandi Rationale officiorum divinorum, Caſſandri & Pamelii Liturgiæ & Jacobi Goar Euchologium Græcorum, Cæſarius de ritibus Græcorum, Caſalius de ritibus, Liber Diurnus Pontificum Rom. cum Joh. Garnerii diſſertationibus. Liturgia Gallicana, Joh. Mabillonii, ejusdem Præfatio & Ordo Romanus, Card. Jo. Bonæ Liturgica, deque Pſalmodia liber, P. Edmundi Martene de ritibus Eccleſiaſticis, Grancolas & Bocquillot de Liturgiis, Explicatio cerimoniarum Miſſæ per de Vert. Legi quoque poſſunt libri Proteſtantium, Hoſpiniani atque Dallæi. De feſtis Chriſtianorum prolixe egerunt Rud. Hoſpinianus, Jac. Gretſerus, Ludov. Thomaſſinus, atque Ant. Bailletus: de imminutione Feſtorum Clemangis, Thierſius & Baſſompierre. De templis chriſtianorum, eorumque formâ vide ſis quæ habet Euſebius de templis per Conſtantinum exſtructis, in libris de Vita Conſtantini: item Leonem Allatium de Templis Græcorum recentioribus, & Narthece Eccleſiæ Veteris, P. Jo. Morinum de Baſilicis. Launojum

&

& Valesium de antiquis Gallicarum Ecclesiarum Basilicis, Hospiniani tract. de templis, quæque Mabillonius in præfatione libri de Ordine Romano commentatus est, Thiersii dissertationes de Altaribus, Odeis, (loco seu statione cantorum) atque Propylæis Ecclesiæ. Qui veteris Ecclesiæ modum concionandi cognoscere desiderat, Bernh. Ferrarium de sacris Concionibus & Frideric. Cardin. Barromæum Episcopum concionatorem adeat: de Aquâ benedictâ Marsilius Colonna agit, de unctionibus Humbertus Morus: de benedictione cerei paschalis Beda: de signis crucis Alph. Ciaconius: de Agnus DEI Molanus, Josephus Maria, Suarezius & Theophilus Raynaudus: de processionibus Busius Hungerus, de funeralibus christianorum Gretserus & Filesacius.

CAPUT XXII.

De librorum Asceticorum & Monasticorum studio.

LIbrorum asceticorum studium ad Monachos imprimis pertinet; necesse tamen est, ut Theologi illud degustent, & ante omnia veterum libros evolvant, e. g. Basilii Ascetica, Regulasque, S. Benedicti Anianensis codicem & concordiam regularum, Vitas Patrum, S. Augustinum de Opere monachorum, Cassiani Collationes, & Institutionem monachorum, S. Benedicti

regulam cum commentario Benedicti Hæphteni, Juliani Pomerii librum de vita contemplativa, S. Eucharium de laude ſolitudinis, Jo. Climaci Scalam, S. Bernhardi & Gerſoni nonnulla ſcripta. Omitti vero poſſunt regulæ recentiores, conſtitutiones particulares, & magnus numerus ſcriptorum recentiorum, qui de ſtatu & moribus quorundam tantummodo ordinum agunt; legere tamen proderit Altaſerræ origines monaſticas, Abbatis Trappenſis colloquia, & officia monaſtica, P. Martene de antiquis monachorum ritibus, Bivarium de veteri orientalium monachiſmo, Hæphteni diſquiſitiones monaſticæ, Propugnaculum Reformationis monaſticæ, &c.

De exemptione atque privilegiis monachorum, quæſtio jam pridem fervide agitata plures ab utraque parte acriores paululum libros produxit; aliis monaſteriorum ſuorum privilegia compilantibus, aliis Conciliorum, Paparumque Decreta, quæ commune jus confirmant. Videri hac de re poteſt Launojus de exemtionibus contra privilegia S. Medardi, aliique hujus auctoris tractatus, deque juribus, quæ Religioſi prætendunt in Sacramentis adminiſtrandis, Cleri Gallicani conſtitutiones ab Hallerio collectæ, & à Gerbaſio editæ; Launoji liber de Canone *Omnis utriusque ſexus.* Cenſura in Vernantium, variaque ſcripta, quæ pro Parochis contra Regulares diverſis temporibus edita ſunt, ex antiquis opera Richardi Armachani, Gerſonis, & Guilielmi de Sancto Amore, quæque præterlapſo Seculo in defenſionem Paſtorum contra P. Bagotium aliosque in lucem

ſucem prodiere; Legi quoque poteſt P. Fontonis diſſertatio de privilegio religioſorum in Monaſteriis quibusdam, ordinem, à quocunque Epiſcopo voluerint, accipiendi, ut & Chriſtiani Lupi diſſertatio de Monaſteriis, & Regularium jure concionandi: porro Inſtructiones, edicta, ſcriptaque Epiſcopi de S. Pont.

Canonici vel Seculares ſunt, vel Regulares. Secularium originem atque jura Canoniſtæ explicarunt, conferri hâc de re poſſunt Baptiſta Signius, Henricus Cuickius, Franciſcus Panvinius, Jo. Capetus de Barbora, Ludov. Thomaſſinus & nonnulli alii: de eorum exemtione Jo. Morinus; Launojus contra privilegium S. Martini Turonenſis, variaque ſcripta, quibus occaſionem dedit proceſſus Epiſcoporum contra collegium canonicorum in capite jurisdictionis. In originem, ſtatum, & prærogativas Canonicorum regularium ex eo tempore inquiſiverint P. Fronto, Desnos, Mouliner, Antecurtius le Large & du Vau.

Virginitatis virginumque Sacrarum laudes omnis pridem antiquitas deprædicavit. SS. Cyprianus, Baſillius, Ambroſius, Gregorius Nyſſenus & Nazianzenus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, deque virtutibus atque officiis hujus ſtatus prolixe commentati ſunt. P. Fronto bellam compoſuit diſſertationem de virginitate honorabili, erudita, adorata atque fœcunda. Bajus librum fecit de monaſterio virginum religioſarum in Monte Fleuri: ut nihil nunc dicam de regulis atque conſtitutionibus Monialium hujus aut illius monaſteriorum; quæ cuivis particulares ſunt. Tra-

Tractarunt quoque Polemici de votis monasticis, nimirum ut ea defenderent, sed Ascetæ de eorum amplitudine, deque obligationibus scripserunt; de priore consule Turrianum & Theophilum Raynaudum, de posteriore Abbatem Trappensem de officiis monasticis.

Jejunii praxin veteres commendarunt, & jejunia ex mandato Ecclesiæ instituta Controversistæ defenderunt. De his itaque posterioribus legi merent libri P. Thomassini atque Dallæi, de jejuniis, ubi omnia, quæ hac de re dici possunt, invenies.

CAPUT XXIII.

De studio doctrinæ moralis ut formatrix est vitæ christianæ: de casibus conscientiæ & sermonibus sacris.

DOctrinæ moralis studium infinitum est, illud tamen commodum habet, quod haud opus sit, omnes de ea libros legere; Plura illorum genera dantur: quidam instructiones morales vel ad omnes status hominum, vel ad quosdam particulares tradunt; alii omnia doctrinæ moralis capita methodice absolvunt: Casuistæ ex conscientiæ casibus tam generalibus, quam specialibus summas sive compendia fecerunt: Spirituales vero, qui dicuntur, missis dogmatibus, opera pietatis ad flectendos, corrigendosque hominum

minum animos ediderunt. Qui omnes illos auctores, hac de re agentes perlegere vellet, is pelago se immitteret haud sine naufragii periculo, vel diu saltem sine spe portum attingendi oberraret. Veterum scripta moralia usque ad S. Bernhardum nunquam satis legi relegique cum cura possunt : modernorum vero magnus est selectus instituendus, pauci namque adtentam lectionem merentur, pauci novi quid, quod apud antiquos non invenies, afferunt. Quod ad Theologiam moralem dogmaticam, unius cujusdam bonorum auctorum lectio sufficiet, postquam secunda S. Thomæ pars pertractata fuit. Theologia Moralis Episcopi Gratianopolitani, & P. Natalis Alexandri multum eis inservient, qui studio huic musas suas consecrant : quod ad Casuistas, inutile adeoque perniciosum foret, eorum lectioni totum se dedere, meliorem quendam elegisse satis erit; e. g. Raimundum de Penna forti, S. Antoninum, Franc. Toletum. Ceterum principia moralia ex Sacra Scriptura, atque Patribus formanda sunt, queis religiose te addicas oportet, ne in excessus atque extrema delabaris, id quod nonnullis Casuistis evenit, laxiori disciplinæ faventibus, quorumque opiniones ab Episcopis & sede Apostolica damnatæ sunt. Horum, nempe Episcoporum Gallicanorum, edicta atque decreta magno cum fructu legeris, itemque scripta, quæ contra moralem doctrinam laxiorem, in specie de Probabilitate, à P. Baronio, Christiano Lupo, Thyrsio, Gonzalez Jesuitarum Generali & Jes. Gilberto edita in lucem sunt.

Pecu-

Peculiares quoque libros de diversis capitibus moralibus compositos consulas, e. g. de Usura, Elemosyna &c. quorum catalogum in sequenti indiculo dabimus.

Decisiones casuum conscientiæ Domini de S. Beuve, aliorumque doctorum Parisiensium, magno eis erunt usui, qui diœcesi vel parrochiatui præsunt, vel fidelium animarum curam alicubi agunt.

In sui vero cujusque instructionem atque peculiarem ædificationem, nonnisi excellentiora veterum moralia sunt legenda, una cum operibus recentiorum limatius exaratis, magisque adprobatis, e. g. Nicolii Specimen doctrinæ morale, explicatio Moralis in Orationem Dominicam &c.

Ob hanc ipsam causam nonnullos de spiritualitate libros evolvas, e. g. Innocentii III. de contemtu mundi, Bernhardum in Canticum Canticorum, & Gersonis aliquot scripta. Thomæ à Kempis de Imitatione JEsu Christi libellum, Ludov. Granatensis, S. Theresiæ aliqua, Nicolium de oratione, Hammondum de pietate & infinita Pietatis praxeos alia, ex quibus ea quisque seligat, quæ genio suo maxime grata sunt, ipsique melius conveniunt, horum namque lectio nullum continuum ac methodicum studium requirit, sed piam solummodo ad religiosas cogitationes excitandas, fovendasque occupationem. Quibus prædicandi verbi Divini munus incumbit, vel qui ad officium hoc subeundum vocati sunt, illi principia atque axiomata, quæ doceant, ex Sacra Scriptura atque Patribus haurire, solidumque

que ante ministerii hujus gravissimi susceptionem in moralibus fundamentum jacere debent, inprimis S. Chrysostomi, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, Augustini, Gregorii M. atque Bernhardi Sermones atque Homiliæ manibus eorum terantur sedulo, ut habendis concionibus idonei reddantur. In media Seculorum ætate concionatores nulli sunt, quibus evolvendis multum temporis utiliter impendas. Immo nonnulli eorum sunt, qui tædium potius creare, ingeniumque obtundere magis, quam erudire ac formare valeant: necesse itaque est, ut Concionatorum ex modernis præstantiorum sermones legantur, e. g. Episcopi Ariensis, P. Bourdelouë, Lamberti Conciones: Panegyrici sermones Flechieri, item Massilonii & de la Ruë conciences. Instructiones Christianæ, Discursus morales &c. non ut eos exscribas, eorumque vestigia serviliter premas, prout nonnulli facere solent; sed ut numerum atque modum divina oracula eâ qua par est facundia atque dignitate proferendi, ex illis discas. Qui ad ardua perfectionis hujus eniti nequeunt, & tamen ratione ministerii sui verbum DEI prædicare, populumque, cui præsunt, doctrinâ imbuere tenentur, illis suffecerit quarundam ex Patribus concionum lectio, e. g. S. Chrysostomi, Augustini, Gregorii & Bernhardi & quorundam recentiorum, materias modo plano ac simplici pertractantium, ut sunt: Instructiones christianæ, Discursus morales, Dictionarium Morale, Boquilloti, aliorumque Homiliæ.

CAPUT

CAPUT XXIV.

De Historiæ, Chronologiæ atque Geographiæ sacræ studio.

OBservavimus jam in antecedentibus, Historiam Ecclesiasticam tum rectissime tractari, si juncto cum Patrum lectione studio ordinem Seculorum sequatur: simulque auctores singulis Seculis legendos nominavimus. Qui autem præcipuam huic studio navare operam cupiunt, mox ab initio chronologiæ temporum à mundo condito ichnographiam sibi formabunt. Ad id ipsum vero plurimum adjumenti dabunt Scaligeri Thesaurus temporum, P. Petavii Doctrina temporum, Marshami Chronicon, Tornielli Annales, item Usserii; Vossii Chronologia Sacra, Pezronii Antiquitas temporum restituta, aliaque hujus generis opera, quippe quæ solidam Historiæ & Chronologiæ veteris notitiam subministrant. Adjungantur studio huic veteres historici Græci pariter ac latini, gentium historiam tradentes: atque, ubi ad tempora JEsu Christi perventum in lectione fuerit Evangelistarum Harmoniam legant, librosque de Historia Domini Nostri JEsu Christi conscriptos; his peractis, Historici Ecclesiastici per ordinem Seculorum, Conciliorum acta, Patrumque scripta ad historiam aliquatenus pertinentia conferantur. Cum in sex prioribus seculis Historia Ecclesiastica cum rebus in Imperio Romano gestis sit permista, auctores quoque Imperatorum vitam historiamque sui temporis consignantes

gnantes perlustrabunt: sed insuper quoque necesse habent, voluminosos istos Historiæ Ecclesiasticæ scriptores indefesso studio perlegere, e. g. Baronii Annales, P. Anton. Pagi Criticam Baronianam, Tillemontii Historiam Imperatorum atque Commentarios (Memoires) de rebus ad historiam Eccl. pertinentibus. S. Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Chrysostomi, Ambrosii, vitas ab Hermantio descriptas, S. Augustini Biographiam per Rivium, quamque initio operum ejus in ultima editione præmissam dederunt Benedictini. Si cui studium hoc historicum ad nostra usque tempora continuare lubet, historicorum Ecclesiasticorum per cuncta deinceps Secula, Baroniique continuatorum, lectionem continuam persequi debet, conjunctis simul præcipuis cujusque nationis historicis. Omnes ferme Belli Sacri in Palæstina suscepti historicos in Collectione Bongarsiana, cui titulus est: *Gesta DEI per Francos*, comprehensos. Sequentur deinceps alii. Sic Platina historiam Paparum per partes præ cæteris deduxit: Paparum Avenionensium schisma à pluribus illius temporis auctoribus enarratum est, quorum catalogum infra dabimus, ex quibus Puteani fratres tam de schismate isto, quam Templariorum ordine exquisitam historiam tradiderunt. Historia Ecclesiastica & Civilis Gallicana edisci potest ex S. Gregorio Turonensi, ex Andreæ Duchesne Collectione Scriptorum Historiæ Francicæ, ex Sammarthani *Gallia Christiana*, & ex P. le Cointe Annalibus Francicis: Historia Ecclesiastica Germanica ex Goldasti & Meibomii Col-

lectionibus; Historia Ecclesiarum Gallicarum ex Miræo; Anglicarum ex Beda, Guilielmo Malmesburiensi, Matthæo Paris, Howedeno, Eadmero, ex Usserii Antiquitatibus Britannicis & ex posterioribus schismatis Anglicani historicis: Historia Ecclesiarum Hispanicarum ex Luca Tudensi & Mariana peti potest. Conferri etiam debent peculiares de Origine variarum Ecclesiarum & successione Episcoporum tractatus; Historiæ particulares ordinum monasticorum, Canonicorum & Militarium; Historiæ & Chronologiæ particulares Ecclesiarum & Monasteriorum, & ante omnia Historia literaria tum generalis tum particularis auctorum Ecclesiasticorum, Virorumque illustrium, quorsum tractatus in eorum opera critici manuducunt.

Studium hoc non in omnes, sed eos tantum cadit, qui maximam vitæ suæ partem impendere ei gestiunt; reliqui contenti esse possunt, ubi historiam Ecclesiasticam priorum octo Seculorum, præcipuasque disputationes Seculis subsequentibus in Ecclesia obortas, addito historiæ universalis compendio, perlegerint: qui nec huic quidem labori pares sunt, legisse sufficiet Spondani Epitomen Annalium Baronii, Petavii Rationarium temporum, du Pinii Compendium Historiæ Eclesiasticæ per quæstiones & responsiones, Ejusque Bibliothecam Ecclesiasticam, aut Natalis Alexandri Historiam Ecclesiasticam.

Geographia Ecclesiastica è Conciliorum lectione addisci poterit; tametsi nullam hucusque perfectam habemus. Optima est Caroli à S. Paulo, quâ-

cum

cum Holſtenii, qui plura ibi emendavit, notas conferas: inſpiciendæ quoque particulares de Eccleſiis Orientalibus, Africanis, Italicis & Gallicanis obſervationes. De Eccleſia Africana Baluzii annotationes in Collationem Carthaginenſem ſunt præſtantiſſimæ: non minoris pretii Theodorici Ruinarti Annotationes in Victorem Vitenſem, item Geographia Sacra Africana, ultimæ editioni Optati Milevitani à du Pinio præfixa. Sanctorum Biographiæ generales atque ſpeciales magnam Hiſtor. Eccleſ. partem conficiunt; Enata inde ſunt corpora vaſtiora, atque contractiora. Vetuſtiſſimas Biographias exhibent Martyrologia, quorum præcipua ſunt Romanum cum notis Baronii, Bedæ, Uſuardi, Adonis, Molani, & Caſtellani. Vitæ Sanctorum, quæ vaſtis voluminibus collegerunt, Mombricius, Lipomannus, Surius, Bollandus ejusque continuatores Henſchenius, Papebrochius ceterique, queis debemus Acta Sanctorum; item Acta Sanctorum ex ordine Benedicti, ac ſimilia ad eos pertinent, qui talia in ſuis fontibus legere cupiunt: Sed perpauci tanta ſunt patientia, tantumque otii poſſident, ut ejusmodi ſpiſſa volumina, tot rebus inutilibus atque apocryphis referta, legendo abſolvant. Fecit ergo præclare Theod. Ruinartus, qui Acta genuina atque ſelecta martyrum primorum Collectione non nimia edidit; quæ una cum Bailleti novis Sanctorum Vitis ſatis eos inſtruent, quibus in ſolidâ, verâque Biographiæ martyrum, aliorumque Sanctorum notitiâ adquieſcere mens eſt.

Ceterum cum principalis atque ultimus finis,

nis, quem Theologiæ studiosi debent sibi figere, in eo consistat, ut studia ipsorum suæ pariter ac aliorum saluti inserviant, omnia in hunc finem dirigant oportet: quæ vero à statu, conditione atque munere ipsorum aliena sunt, aversentur. Plurimi sunt, quorum captum studia hæc, modo à nobis proposito exsuperant; quilibet igitur se examinet, quousque ingenii sui vires pertingant,

Quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

quæque ingenii sui facultatibus aptè conveniant, eligat; summa hæc & unica regula est, in usum perpetuo deducenda, ad quam quis studia sua, librosque commode legendos dijudicet.

CAPUT XXV.

De studii Theologici modo atque ratione.

IN eo res haud absolvitur, ut quæ studia sint capessenda, probe noscas, modum quoque ac rationem studiorum callere decet, quæque ad instructionem maxime idonea, atque solida sunt, sequi. Duo autem studii Theologici, sicut & reliquarum Scientiarum, modi sunt; alter lectionibus privatis, alter Magistrorum auscultatione, Scholarumque frequentatione absolvitur. Pluribus abhinc Seculis Quintilianus quæstionem movit; utiliusne sit, domi atque intra privatos parietes studentem continere, an frequentiæ scholarum,

larum, & publicis præceptoribus tradere? atque ibi mox ſcholis publicis palmam dedit: Idem nos de ſtudio theologico judicium ferre nulli dubitamus, quod magnus ille vir de litteris elegantioribus atque Rhetoricâ tulit; Nam, tametſi certum eſt, Scripturam Sacram & Opera Patrum, Conciliorum Canones, Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Theologos, Sacræ Scripturæ Commentatores privata induſtria legendos, inque eorum meditatione ſacra & ſedula animos eſſe nutriendos; attamen ſtudium hoc privitâ operâ ſuſceptum, ſi Magiſtri informatione, exercitiiſque publicis deſtituatur, exiguum valde fructum feret. Magiſter enim te manuducit, ſtudiaque tua dirigit, exercitium autem publicum vires ingenii efformat, & acuit, tum decentibus, rectiſque terminis mentem explicare docet. Ipſa clamat experientia, maximam Theologorum αὐτοδιδάκτων partem, qui exercitio publico caruere; nec eâ judicandi rectitudine, nec accuratione, nec exactâ in Doctorina diſtinguendi explicandique facultate, nec in ſermonibus aut ſcriptis eâ facilitate atque perſpicuitate pollere, quâ illi plerumque præditi ſunt, qui curſum Theologicum Magiſtro duce, aliaque dein exercitia ordinaria in ſcholis publicis abſolverunt.

Præſupponimus itaque velut rem extra omnem dubitationis aleam poſitam, ut ſi quis idoneus evadere Theologus cupiat, non ſolum proprio Marte literis incumbat, ſed & Magiſtros duces ſequatur, ſcholas frequentet, ſolemnes actus in ſe ſuſcipiat, diſputet, tandemque ipſe

O 3 publice

publice doceat. Examinemus nunc, quinam Magiſtri eligendi ſint, quâ ratione auditores informandi, quæ ſcholæ frequentandæ, quamdiu ſtudiorum curſus continuandus, & cujusnam naturæ atque formæ exercitia publica eſſe debeant.

Quod Magiſtros concernit, eorum quidam privatas, quidam publicas lectiones inſtituunt. Præceptores domeſtici ſunt neceſſarii, ut ea ſtudia, quibus privatam impendunt operam ſtudioſi, eo melius dirigantur, libri legendi indicentur, difficultates illic obvenientes tollantur, ſtudioſi exerceantur, modus bene loquendi ratiocinandique eis monſtretur, lectiones à publicis informatoribus traditæ, recte intelligantur & repetantur, ut ad exercitia publica diſponantur, eaque ſecundum artem atque regulas peragendi diſputandique habiles reddantur: ſed ſedulo cavendum, ne nimium horum Magiſtrorum curæ te committas: proprioque ſtudio te ſubducas. Negligentiam nihil magis alit, ignorantiamque Theologorum novellorum promovet, quam facilitas Informatorum horum, quos vulgo Repetentes vocant, qui ob nimiam conniventiam, fineſque ſæpe lucroſos, diſcipulos ſuos à diſcendi legibus plerumque eximunt, & Thraſonum more jactitant, per quasdam peculiares lectiones, quas ipſis præbent, eos redditum iri eruditos. Turpiter ſe deciperet, qui hoc modo aliquem bonum vel mediocrem Theologum evadere poſſe crederet: inſtrui quidem de ſtatu controverſiæ, de quæſtionibus, argumentis in contrarium, atque reſponſionibus ordinariis leviter poteſt; ſed, uti ſuperficiariæ ejusmodi infor-

informationes altas in mente radices agere nequeunt; ita quas fecerunt impressiones, è memoria mox elabuntur; & finge, mente eas interdum repostas manere, hoc tamen omne exiguum est; ita, ut qui retinuerit, tamen homo imperitus adhuc indoctusque maneat: Itaque præceptores, qui Theologiam privatos intra parietes docent, præcipuam curam gerant, ut discipuli solide bonis in literis erudiantur, deinde ut eos illis libros lectum in manus tradant, qui res scitu ipsis necessarias continent, ut ad ipsos rerum fontes eos adducant, memoriam eorum tenacem reddant, ingeniumque acuant, paucis, ut in studiis eos adjuvent, non autem pro illis studiorum labores ipsi in se suscipiant.

Sed quamcunque demum diligentiam Magistri in erudiendis discipulis, dirigendisque eorum studiis privatim adhibuerint, nullum tamen neglectum aut contemtum erga studia, quæ in scholis publicis agitantur, inspirare ipsis debent; quandoquidem opinandum merito, Viros, qui ad publicum Theologiæ docendæ munus evecti sunt, totique huic professioni addicti, scientiâ majori atque experientiâ, quam privatos informatores, præditos esse debere. Quæ si forte fallet opinio (uti revera non semper præstantissimum quodque in eis deprehenditur) tamen discipulorum numerus, honor Professori publice docenti delatus, auditorum adtentio, condiscipulorum æmulatio, exercitiaque scholastica publica plurimum ad profectus Theologo juveni conferunt. Quod ad Professores, opera ab ipsis danda, ut res soli-

das clare atque perſpicue & ad diſcipulorum ſuorum captum accommodate doceant.

Naſcitur inde porro quæſtio hanc in rem maxime examinanda, num utile ſit atque conveniens, ut Profeſſores auditoribus in calamum ſua, ut voluerit quisque, dictent, vel annon melius foret, auctorem aliquem typis publicis expreſſum explicarent? Haud multis opus eſt, ut probetur, poſteriorem modum multo faciliorem, & Profeſſoribus pariter ac diſcipulis minus moleſtum eſſe, quia alteros ab operoſa ſcriptorum novorum compoſitione, alteros à temporis jacturâ in deſcribendo liberat. Adhæc difficile creditu eſt, Profeſſoris utcunque exercitati ſcripta hunc in finem pro ſtudioſis compoſita, tam limata exactaque eſſe, quam ſunt auctorum eruditorum libri, qui ante de eâdem materiâ publico cum elogio proſtant: Majori adhæc adtentione editi typis libri, quam ea, quæ diſcipulis in ſchola dictantur, perlegi ſolent, plurisque ea, quæ publicé prodeunt, quam quæ in ſcholis ſonant, æſtimantur. „ Interim dictandi ratio non omni prorſus utili„ tate deſtituitur. Sicut enim, inquit P. Mabillo„ nius, ex unâ parte Profeſſor haud magnam ca„ pit voluptatem ex nuda ſententiarum impreſſi „ auctoris ſcholaſtici explicatione, ſic fieri vix „ poteſt, ut in omnibus rebus ejusdem ſententiæ „ ſubſcribat, non multum quoque fidei in audi„ torum ſuorum animo ſibi acquirit, ſi eis „ de ſuo nihil addit. Præterea Magiſter, qui „ ſapiens atque prudens putatur, ſcripta ſua ma„ gis ad diſcipulorum ſuorum genium adtempe-

rare, „

rare, quam ullus impressus liber valet: ipsæ „ quoque res altiores per scripturam, quam nudam explicationem in discipulorum memoria „ radices agunt. Ubi auctor solum explicatur, „ evagari cogitationes aliorsum possunt, sed quod „ scribere tenentur, & cujus dein explicatio sequitur, ad illud non possunt non animum advertere. „ Qui officio suo ritu funguntur Professores, non minorem diligentiam & adtentionem adhibent ad solidum scriptum pro discipulis suis conficiendum, quam multi auctores faciunt in scripto publico. Si tanta illud elegantia non efforment, tamen sic satagunt, ut captui incipientium illud magis accommodum, methodoque scholæ convenientius efficiant, & paucis paginis multas res complectantur: quapropter hæc usu jam olim recepta & ante inventas typorum formas necessaria consuetudo, qua discipulis aliquid ad eorum informationem in calamum dictatur, reprehendi, vel rejici in totum nequit; sed curam atque operam impendant Professores, ut nihil inutile, & quod ad scopum non pertineret, in chartas conjiciendum mandent, atque ut scripta isthæc, quantum fieri potest, in arctum contrahant; ne discipulis suis nimium in scribendis prolixis tractatibus negotii facessant; sed curent, ut ad impressa eos opera remittant, ubi materiæ, de quibus loquuntur, fusius tractatæ sunt; ut nihil allegent, nisi quod ad decisionem rei confirmandæ stricte pertineat; utque verbis paucis multa eloquantur. Necesse quoque est, ut more consueto oralem suis dictatis explicationem adjiciant, quæ expli-

catio non mera illius, quod de ſuo commentario dixerunt, repetitio ſit, ſed latiorem & uberiorem rerum deſcriptionem ediſſerant, ex qua diſcipuli veritatum ſuis in ſcriptis contentarum eo rectiorem hauriant intellectum, verumque guſtum.

Ita ſane ſcholis publicis nullas eſſe ad tradendam Theologiam meliores vel ex ultima conſtat antiquitate. Omni tempore enim in Eccleſia erecta fuerunt: teſtis eſt celebris illa ſchola Alexandrina, in qua non ſolum Theologia, ſed & aliæ artes atque Scientiæ, iſthuc ſpectantes, tradebantur. Ad hæc Epiſcopi in ſuis Eccleſiis, & monachi in ſuis monaſteriis ſcholas antiquitus habebant, Caroli M. tempore ſcholæ in Occidente dirutæ atque deſertæ, denuo inſtauratæ & excultæ fuerunt. Imperator hic, quem optimo jure non ſolum litterarum elegantiorum, ſed ipſius quoque Theologiæ reſtauratorem dixeris, cum ipſe exercitatiſſimos Theologos conſuleret, ut de graviſſimis doctrinæ atque diſciplinæ eccleſiaſticæ momentis deciſiones facerent, Imperator hic, inquam, in ſuo Palatio ſcholas erexit, erectas autem in monaſteriis atque-Eccleſiis clementiſſime confirmavit, aluitque. Ab eo itaque tempore per ſeculorum ordinem ſcholæ ſunt continuatæ, usque dum Pariſienſis Academia Seculo duodecimo, ſumtis una in adminiculum Scholis Theologicis Monaſterii S. Virginis, S. Victoris, & S. Genovevæ, fuit conſtituta. Corpore hoc ſemel formato, non ſolum Profeſſores Theologiam Pariſiis publice docentes aderant; ſed celebres quoque ſcholæ aliæ erant, ſtudiorum curſus dimenſus,

ſus, & exercitia ſtudioſis præſcripta; qui diverſis gradibus Baccalaureorum, Licentiatorum atque Doctorum diſtinguebantur. Ad exemplum Academiæ Pariſienſis & imprimis Facultatis Theologicæ in omnibus ferme Europæ partibus Academiæ atque Facultates Theologicæ conſtitutæ ſunt; ſed Facultas Theologica Pariſienſis majori ſemper fama & auctoritate ſplenduit. Magnis eam elogiis exornarunt Papæ, rerum graviſſimarum deciſiones & reſponſiones ab ea expetebant: Reges Galliæ non ſolum protectione ſua honorem ejus adauxerunt, ſed illius etiam ſententiam amplexi ſunt, quoties in Eccleſia de doctrina lites atque controverſiæ obortæ fuerant: Porro & à peregrinis placita ejus reverenter recepta ſunt: quin concilia generalia ſuos quandoque ad illius collegia legatos miſerunt, eorumque arbitrio acquieverunt. Hæc jure ſemper gaviſa eſt, de rebus doctrinalibus judicandi, libros vel adprobandi, vel per cenſuram rejiciendi, dijudicationes denique illius nullo non tempore non ſolum à Gallis, ſed ab exteris quoque pro Oraculo habitæ ſunt. Petrus Bleſenſis dudum dixit: ſicut olim in proverbium apud Iſraëlitas abiit, qui quæſtionis alicujus deciſionem deſiderarent. Havilam ſe conferant; ita in conſuetudinem quoque ſuo tempore invaluiſſe, ut illis, qui compoſitionem diſceptationis aut diſſenſus alicujus expeterent, Pariſios eſſet eundum, ubi res difficillimæ, prægraves, ac ſpinoſæ enodarentur. *Qui interrogant, interrogent Pariſiis, ubi difficilium quæſtionum nodi intricatiſſimi reſolvuntur.*

„ Acade-

„ Academiæ huic Paparum quidam istud dedit elo-
„ gium; Inter omnes reliquas illa, ut stellas inter
„ luna minores coruscat, adeoque omnes mundi
„ Academias splendore suo superat, ubique ter-
„ rarum scientiæ atque veritatis radios emittit, qui
„ ignorantiæ erroris que tenebras dispellunt: Nam-
„ que, addit ille, ex ipsa tanquam ex limpidissi-
„ mo fonte, sanæ veræque doctrinæ rivuli pro-
„ fluunt, perque omnes ubique regiones sese dif-
„ fundunt, falsarum contra opinionum limum elu-
„ unt, neque unquam accidit, ut lympharum
„ illius puritas ulla tempestate utcunque horrida,
„ fuerit turbata „: Hâc de Facultate Theologica Parisiensi Gerson in Concilio Constantiensi elata voce atque animo professus est, omni tempore,& ab omnibus terræ partibus, immo ab ipsa curia Romanâ doctrinæ quæstiones eò delatas ad censuram fuisse.

Ceterum ad studia, quæ in Facultate Theologica Parisiensi excoluntur, retrogrediamur, illa ordinem suum regulasque seu Statuta acceperunt tum è praxi antiqua, tum per leges diversis temporibus à Romanis Pontificibus ad alendam reformandamque Academiam Parisiensem latas. Constitutiones autem tria hæc respiciunt 1°. tempus cursumque studiorum. 2°. lectiones publicas & professores. 3°. publica per actus exercitia.

Nemo putet, Theologiæ studium exiguo temporis spatio absolvi posse, plures annos illa sibi deposcit, ad certum doctrinæ scopum enitendi, ac ne tota quidem vita ad perfectam omnium Theologiæ partium notitiam sufficeret. Qui brevi eam tempore tradendam suscipiunt, turpiter se de-

decipiunt, vel alios perniciosa fraude circumveniunt, quare magna in Academiis cura fuit, ut tempus philosophicis ac theologicis studiis conveniens atque sufficiens præfiniretur.

In Facultate Theologica Parisiensi studiorum cursus olim multo fuit longior, ac hodie esse solet, licet ille nunc quoque per plures annos continuetur. Ab initio statim necessum fuit, ut qui ad legendum accedebant i. e. qui Theologiam profiteri cupiebant, sex integros annos Parisiis studuissent, & Magistrorum sive Doctorum & Baccalaureorum, qui Sententias Lombardi docebant, & qui Sacram Scripturam explicabant, collegia frequentassent: obstricti quoque fuerant, priusquam reciperentur, duas disputationes, aut unam orationem, unamque disputationem habere. Porro ad ætatem viginti quinque annorum eos pervenisse opus erat, duosque actus, quos Galli *Expectativos* vocant, sustinere debuerunt. Absolutis duobus per biennium cursibus Biblicis, ad Petri Lombardi libros sententiarum docendos admissi sunt; munere hoc biennii vel triennii spatio fungebantur, perque omne studiorum tempus actus exercere, sermonesque habere tenebantur, ita ut studiorum theologicorum cursus tunc temporis ad undecim usque annos extenderetur.

Quod ad exercitia attinet, tirones primis initiis Baccalaureorum, aut Scripturam aut sententias explicantium, auditoria frequentabant, oportebat eos, bis in actibus *Expectativis* (aux Vesperies & à la Resompte) respondere, deinde sermones ad populum de suggestu habere, colloquiaque

quiaque erudita instituere: denique priusquam ad Baccalaureatus gradum admitterentur, in actu, (quem illi *Tentativum* adpellant) respondere. In lectionum suarum cursu tres actus sustinebant, majorem, minorem & Sorbonicum; ad obtinendam denique mitram doctoralem, pro doctoratu disputabant, & antequam lectiones publicæ ipsis permitterentur, pro loco disputabant, & singulis subsequentibus annis undecim vel duodecim lectiones habebant, & actibus publicis Baccalaureorum præsidebant: omnia hæc in antiquis nostris statutis anno 1416. collectis præscripta sunt, & exinde videre est, quamdiu olim studiorum theologicorum, exercitiorumque ibi habendorum cursus continuabat.

Hodie Baccalaurei non amplius Theologiam docere tenentur, sed professio hæc, Doctoribus relicta est, qui eam in celebribus Sorbonica & Navarræa Scholis tradunt, ubi cathedræ pro Secularibus erectæ sunt; & in domiciliis Regularium pro Regularibus. Discipuli lectionibus duorum Professorum per tres annos interesse debent, verba illorum calamo excipientes, eorumque explicationes probe auscultantes. Præterlapso triennio duo examina, Philosophicum alterum, alterum theologicum subire, ad libros, è quibus instituti fuerunt, atque ex Historia Ecclesiastica. Ut admittantur unanimi quatuor Doctorum consensu recipiantur, oportet, qui per sortem examinatores eis contigerunt, quique suffragia sua schedulis in capsulam, ut secreta sint, immissis tulerunt; inde actum (Tentativum uti vocant) ag gediun-

grediuntur, cujus thema more ſolito de divinis attributis, Trinitate atque Angelis agit: quo negotio deſuncti, ſi ante jejunium quadrageſimale id accidit, primi Licentiæ anni, intervallum antequam ad altiora admittuntur, habent, usque ad ſecundi ſubſequentis anni primum menſis Januarii diem, ut ad obtinendam licentiam ſe præparent; at ſi hoc poſt Paſcha fit, ad primum usque Januarium quarti anni exſpectandum ipſis eſt. Ante Licentiam duo examina inſtituuntur, primum agit de incarnatione, legibus, actionibus humanis, & peccato; alterum de Sacramentis, de Scriptura Sacra & Hiſtoria Eccleſiaſtica. Quando per quatuor Doctorum ſuffragia, eodem modo ac in Tentamine ſeu actu Tentativo examinantium, admiſſi ſunt, tunc facultatem Licentiam petendi obtinent, & ſuo quisque ordine in omnibus actibus diſputare, & intra biennium, per quod Licentia durat, tres diſputatorios actus ſubire debent, majorem, qui plerunque de Scriptura Sacra, de Traditione Eccleſiæ, de Hiſtoria Eccleſiaſtica agit, & ab octava hora temporis matutini ad veſperam usque excurrit; minorem de Sacramentis à ſexta hora ad meridiem, vel à prima pomeridiana usque ad veſperam; & Sorbonicum, in quo nullus Doctor præſidet, ut in reliquis actibus, quæ quidem à ſexta hora matutina ad ſextam usque veſpertinam durat, & materias ſcholaſticas ventilat, in ſpecie de Incarnatione, Legibus, peccato, Gratia. Finitis duobus his Licentiæ annis, ubi ſatis exercitati, aut felices fuerunt, nec infauſto numero ſuffragiorum adverſantium, à docto-

ctori-

ctoribus, qui censores decem numero omnibus actibus intersunt, aut numero absentiæ ab actibus publicis, queis interesse per biennium istud debuerant, negligentis, & qui excludere potest, premantur; tum Licentiati agnoscuntur, & postea capitium doctorale accipiunt, si prius disputationem Vesperalem in materia de Sacra Scriptura & de doctrina morali per duas horas habuerunt, in qua duo Doctores opponunt, & quam alia antecedit, (Expectativa dicta) cui Theologus novellus præsidet; tunc doctoralem quisque tiaram eo ordine accipit, quem doctorum Facultatis suffragium disposuit; post hæc in actu, quem *Aulicum* nominamus, eo, quod in Archiepiscopi aula instituitur, præsident novelli Doctores: per sex annos vero nulla in Facultatis congregationibus suffragia ferunt, quinto anno disputationem, quam actum Resumptũm appellant, de nonnullis Biblicis vel Polemicis quæstionibus defendunt, in quâ Doctores opponunt. Átque hic cursus, hic finis, hæc exercitia sunt Facultatis Theologicæ Parisinæ.

Studiorum horum utilitas & progressus, quem quis in Theologia datam secutus viam, facere potest, satis clari sunt atque evidentes. Initium fit ab instructione Theologorum novitiorum, in primis principiis, ut ipsis universalis Theologiæ idea præformetur, ut elementa ejusdem discant, ut de libris theologicis per compendium erudiantur, ut in primis jam studiorum annis responsionibus atque disputationibus exerceantur: Deinceps per examina rigorosa vires roborare, atque

in

in materias profundiores difficilioresque inquirere coguntur, posthæc crebris actibus publicis, disputationibus atque thesibus ventilandis exercentur, quæ non solum ad officii partes implendas, sed & ad suam ipsorum famam atque gloriam eos excitant, addocentque, per æmulationem rebus illis, quas ex officio tueri tenentur, quæque totam in se Theologiam complectuntur, omni cura atque diligentia incumbere; Ad studia recte instituenda, temporis illis quod satis est, suppetit; ita in solis ipsorum manibus positum est, ut in studiorum suorum curriculo habiles & præstantes Theologi evadant. Interim nec privata studia ipsis negligenda sunt, nec illa quidem, quorum cognitio ad eorum exercitia publica non absolutè requiritur, multo minus studiis, accepto semel doctorali ornamento, nuncius mittendus; tunc enim, si perfecti Theologi evadere volunt, ea studia, quibus defuncti sunt, tanquam præliminaria debent considerare, quorum ope in istum statum profecti sunt, ut nunc penitius in Theosophiæ adyta penetrare valeant: Igitur, si nullis aliis negotiis distrahuntur, nihil melius facere poterunt, quam ut totos se Theologiæ studio tradant; ubi autem & in aliis laboribus desudandum est illis, præ ceteris studiis præcipuam illis operam navare debent, ex quibus muneri suo majus resultet commodum, sive doctores sint, sive Concionatores, sive Canonistæ; nec nobilissimam vitæ suæ partem elabi patiantur, quin studia ad Scripturam Sacram, ad Concilia, Patres atque bonos auctores Ecclesiasticos conferant.

Ut ad exercitia redeamus, quæ in ſcholis peraguntur, quæri poteſt, ſitne conveniens aut neceſſarium, diſcipulos actibus publicis per objectiones & reſponſiones ſcholaſticas exercere, ubi argumenta in forma proponant atque reſolvant? an magis ex re ſit, eos lectionibus theologicis ad eam rem componendis tentare vires? aut dubia ſua paucis ac ſimplicibus verbis proponere, formæ ſcholaſticæ ſe non adſtringendo? Hoc certum eſt, quod olim palmaria exercitia Theologorum Facultatis Pariſienſis in lectionibus publicis conſtiterint, ſive Scripturam Sacram, ſive ſententiarum Magiſtrum explicando: neque dubium eſt, exercitium hoc permagno uſui eſſe, ingenium valde acuere, ad ſolidam quæſtionum notitiam viam ſternere, modumque facillimum mentem explicandi oſtendere. Utinam modo exercitiis his in Theologia locus adhuc eſſet, ſicut adhuc apud eos in uſu ſunt, qui in Collegium Sorbonicum ad excolendam Philoſophiam recepti ſunt, quique per biennium, priusquam in ſocietatem adſciſcantur, docere eam tenentur. Sed nec illud inficiandum eſt, quod objectiones & reſponſiones publicæ, prout methodus ſcholaſtica fert, tam ad ingenium exercendum, emendandumque, quam ad proponendas, reſolvendasque difficultates, verbis paucis, modo accurato, limatoque, ita ut à via ne aberremus, permultum conferant, quia diſputans hac ratione cogitur, directe concludere, propoſitionemque negatam probare, aut datam diſtinctionem impugnare, donec difficultas exſpiraverit. Cavendum tamen eſt, ne methodo hac abutamur, quod fit, ſi 1°. ad ſyllogismos ſimplices tan-

tantum, exſuccos, omnique verborum ornamento carentes nos adſtringamus. 2°. Si terminos barbaros aut intellectu difficiles crepemus. 3°. Si difficultates mere captioſas, omnique prorſus fundamento deſtitutas nectamus. 4°. Si miſſis difficultatibus propoſitis, in res alienas è longinquo accerſitas digrediamur. 5°. Si eandem difficultatem ad prolongandam diſputationem diverſis ſyllogismis repetamus. 6°. Si plura argumenta inutilia, priusquam difficultatis fundamentum aggrediamur, præmittamus: vitia hæc in noſtris ſcholis communiſſima ſunt, tollendis tamen eis parca hactenus nimis medicina adhibetur. Ut & argumentatio & reſponſio appoſitè inſtituatur, eâ nempe ratione, ut non ſolum reſpondens & opponens verum etiam auditorium erudiatur, utque huic ipſi cum oblectamento ſatisfiat, neceſſe eſt, ut opponens eâ, quam aggredi vult, propoſitione indicata, rationes ſuas, vel ex Scriptura Sacra, vel Conciliorum Canonibus, vel ex locis theologicis, vel ab auctoritate Patrum depromtas, in medium proferat. Hæc ubi paucis & legitimis terminis fecerit, omnem difficultatem in Syllogismum coarctet, reſpondens autem, repetito Syllogismo, argumentique, ipſi objecti, propoſitionibus aut negatis aut limitatis, vel rationes negatæ propoſitionis afferat, veritatem à ſe defenſam probando, vel ſtatum controverſiæ, diſtinctionem ſuam explicando illuſtret; porro, quando opponenti aliæ exceptiones ſunt in promtu, ſive ad probandam propoſitionem negatam, ſive ad impugnandam diſtinctionem ipſi regeſtam, bre-

viter atque distincte eas proponere, & in syllogismi formam redigere potest, defendens autem ad eas novi semper aliquid interserens respondere debet; at vero disputatio hæc longius non est extrahenda, una vel duæ exceptiones aut regestiones tollendæ difficultati sufficient, quicquid adjicitur, plerumque vel superfluum est, vel repetitum; neque quicquam tædium magis affert, quam prolixa inutilium argumentorum turba, in quibus eadem difficultas, licet aliâ atque aliâ specie, semper recurrit. Moderatio atque lenitas utramque in disputationibus paginam faciunt, nihil eas magis, quam acerbitas & iracundiæ impetus dedecorat; si enim neque disputationibus seriis affectuum intemperies convenit, multo minus in disputationibus, exercitii gratiâ institutis, locum ea habebit. Itaque ante omnia contemtum atque contumeliarum aculeos respondens juxta ac opponens evitare serio debent, alter alteri honorem atque reverentiam exhibeat, objectionum & responsionum tamen robore nullatenus imminuto. Nec opponendum animo aculeato, nec respondendum est proterve, alter alterum audiat, ut mutuo se instruant, exerceantque, dubia modestè proponantur, ad easque sine arrogantiâ respondeatur: sola veritas triumphare, inque suas partes pertrahere auditores debet, non vero clamosa jactantia, vel conversationis confidentia neque in defendente neque in opponente est exercenda.
„ Cum quæstiones sunt problematicæ, & in utram-
„ que partem absque Religionis vel fidei læsione
„ defendi possunt, adversarium tuum rigore fe-
„ rire

rire majori, tuamque ſententiam tenacius de-„ ſendere poteris; ſed ubi fundamentales religio-„ nis veritates aggrederis, objectiones tuas, ut „ eruditus atque ſapiens P. Mabillonius bene ad-„ monuit, multa moderatione atque ſedato „ animo proponas neceſſe eſt, ita ut rerum ab-„ ſtruſarum illuſtrationem ſaltem petere, minime „ vero rationem aliquam, ne dicam, opinionem „ pro vera aliis obtrudere conari videaris. Ci-„ cero utcunque Paganus modum hunc contra „ DEUM diſputandi, ſive ex animo id fiat, ſive „ ſimulatè, vehementer improbavit, huicque „ conſuetudini, quæ ipſius jam ævo irrepſerat, per-„ verſi moris, & impietatis notam inurere nullus „ dubitavit. „ *Mala & impia conſuetudo eſt, contra Deos diſputandi, ſive ex animo id fit ſive, ſimulatè.* Cic. Lib. II. *de Natura Deorum.* Et profecto ſummæ res eſt offenſionis, in ſcholis chriſtianis & catholicis nonnunquam diſputantes audire, qui cum fervore contra exiſtentiam divinam, contra Myſteria Trinitatis, & Incarnationis, aliasque ſanctiſſimas evangelii veritates, contra maximè irrefragabilia Religionis chriſtianæ atque Catholicæ dogmata, imo contra Religionem ipſam, argumenta, ex atheorum impiorum, Socinianorum & peſſimorum hæreticorum libris corraſa, in medium ſine rubore proferunt, quibus argumentis reſpondens leviter tinctus, nonniſi levia regerit, ita fit, ut difficultas, auditorum ingenium obtundens nullo eos negotio in graviſſimos errores inducat, quippe quorum intellectus cognoſcendæ argumentorum infirmitati impar hæret, ſi reſpondens haud ſatisfecit, quare diſputationum præſides vi-

gilem curam atque industriam istuc conferant, ut si quid ejusmodi accidat, & respondens deficiat, subsidio eidem ipsi veniant.

Modus exercendi juvenes & docendi dialogicus, sive privatus sit, sive publicus, optimus quoque & vetustissimus est; hunc Philosophi antiqui præcipue Socrates & Plato tenuerunt, hunc plures veteris Ecclesiæ Patres in operibus suis sequuti sunt, ubi vel judæos & hæreticos refutarunt, vel Christianos doctrinâ instruebant; quin & à monachis in monasteriis ad erudiendos instituendosque suos adhibitus fuit. Utilis autem modus iste dialogicus est ad Theologorum juniorum instructionem, cum vel de rebus, quibus addiscendis operam dederunt, interrogantur, ac tenentur ad objectas ipsis difficultates respondere, vel explicationem accipiunt atque informationem, ubi responsio hærebat. Magnum præterea eruditis ad perscrutandas altius in fundo quæstiones dialogi seu colloquia usum præstant, ansamque præbent mutua quisque animi sui sensa communicandi: sed ut ejusmodi colloquia decenti ordine fiant, singulis dialogis certa materia substerni, nec de substratæ hujus materiæ campo deflecti debet. Morem hunc dialogisticum Parochi per varias diœceses adhibent, dum in conventibus suis differendi ad singulos congressus, argumentum, aut manuscriptum aut typis impressum habent, ad quod deinceps ordine unusquisque suo ibi verba facit; ac vicissim, quæ in congressu dicta atque conclusa sunt, in chartam conjiciuntur. Ut ordo atque nexus in his colloquiis obser-

vetur,

vetur, necesse est, ut Præses sit, qui quæstionem proponat, statum controversiæ explicet, de via aberrantes reducat, prolixas ambages præcludat, à sametipsis in errorem inductos restituat, qui omnia, quæ dicta fuere, colligat, & epilogum addat. Plures quoque familiares congressus eruditi inter Theologos institui possunt, & in unoquoque ad examinandum proponi thema doctrinæ, disciplinæ, Philosophiæ Moralis, vel historiæ, ad quod si quilibet se præpararet, fieri nequit, quin data materia ex intimis discutiatur visceribus: aut, nullo in medium projecto disputandi argumento, lectio fieri poterit certi cujusdam auctoris, ad quem suas quisque commentationes conferat; cavendum tamen est sedulo, ne in ejusmodi colloquiis ad incidentes quæstiones delabamur, quæ mentem à causa principali, quam agendam sumsimus, avocent. Incommodum hoc tam sæpe accidit, ut ferme impossibile sit evitare, attamen utilitati horum colloquiorum nihil decedit, si membra illius ex ejusmodi constant viris, qui habiles promtique sunt, de quâvis materia solide disserendi. Ceterum ut colloquiis his placida tranquillitas constet, atque emolumentum inde nascatur, evitari debent 1°. Omnes turbæ atque confusiones, ex interruptione sermonis, pluriumque personarum simul loquentium strepitu provenientes. 2°. Altercationes atque disputationes vehementiores. 3°. Species jactantiæ, vanitatis aut contemtus erga alios. 4°. Assertionis pertinacia & gestus dictatorius. Modestia, continentia, mutua reverentia, adtentio ad id, quod dicitur,

absque propriæ opinionis præjudicio, uno verbo, ſincera cognoſcendæ illuſtrandæque veritatis intentio adinſtar animæ diſceptationes has regere atque animare debent.

CAPUT XXVI.

De ratione atque modo curſus Theologici in Facultatis Pariſienſis ſchola abſolvendi; item ſeries actuum ad doctoris honores adipiſcendos celebrandorum.

HActenus curſum ſtudiorum, atque exercitia Theologica, quæ in Academia Pariſienſi, ad ſummos in Theologia honores capeſſendos, requiruntur, ſigillatim ſtudioſeque expoſuimus: Quumque maxima Theologorum Gallicanorum pars ordini huic modoque procedendi ſeſe addicat; nosque in Gallorum uſum præcipue commentemur; neceſſarium eſt, ſpecialem hic eorum operum recenſionem dare, quorum lectio atque meditatio tam in curſu Theologico univerſali, quam in ſingulis actibus ſuam prodat utilitatem. Hæc etſi ad eos tantum proprie pertineant, qui ſtudia hæc eorumque curſum ſequantur; omnibus tamen pariter Theologis, iisque præcipue inſervient, qui in aliis Academiis, quæ ferè omnes ad Pariſienſis modum conſtitutæ ſunt, Muſis ſacris operam impendunt.

Qui

Qui Theologiæ in Parisiensibus scholis limina salutatum eunt, cursum eos philosophicum sub Academiæ Parisiensis Philosophis absolvisse prius oportet: præsupponimus, philosophiam necessariam esse ad viam Theologiæ sternendam, & revera medium illa est, ad eam perveniendi, ut supra demonstravimus. Olim Philosophia Aristotelica ad Averroistarum methodum in scholis tradebatur, verum hodie Professores non adeo serviliter Philosophiæ huic mancipantur, sed scriptis suis ad principia nova deducunt, & ad modernorum philosophorum inventa, id quod ipsorum dogmatibus plus gratiæ addit, & philosophiam reddit utiliorem: attamen pristinæ philosophiæ quæstiones, parvi quidem alias æstumandæ, non omnino prætereundæ sunt, quia plurimum, etiam hodie, ad theologiam scholasticam conferunt, in quâ termini atque notiones ex philosophia Aristotelica desumptæ adhibentur, ac Doctores Candidatos secundum hæc principia examinant: ita dantur quæstiones, quas nosse oportet, ut jure contemni queant, & nihilominus in bonum usum convertantur: at illis minus diu inhærendum, nec æquo major honor est deferendus. Qui philosophiam hodie in scholis tradunt, bene hoc intellexerunt, cumque ante hac nonnisi tales in cursu philosophico, & quidem tam prolixè ventilarentur, ut omnes librorum paginas occupaverint, nunc exercitati Professores contenti sunt, vel primis eas attingere digitis, paucisque eas verbis explicant, ad oculum demonstrando, eas sæpe ad logomachias tantum, vel inanes subtilitates spectare:

P 5 nihil

nihil denique aliud dicunt, nisi quod necesse sit, eas non ignorare, & ut sciamus, illis respondere: majorem sumunt industriam, in tradendis majoris momenti quæstionibus, quas copiose è sola dialectica promunt, quæ culturæ ingenii congruit, modumque rectum de rebus judicium ferendi ostendit; ex Metaphysica, quæ arduas veritates docet, mentemque ad sublimiorum rerum notitiam evehit; ex Doctrina Morali, eaque expurgata atque solida, quæ summi boni cognitionem atque amorem inspirat, hominemque bene moratum reddit; ex Physica, quæ veras naturalium effectuum causas revelat; nec Mathesin intactam relinquunt. Cui fortuna minus favet, quam ut à Professoris Philosophiam ita docentis ore pendeat; defectum hunc, quod ad Logicam attinet, supplere potest ex Arte cogitandi, ex Petri Sylvani-Regis vel du Hamelii Philosophia: & si quis Philosophiam communi methodo magis conformem desiderat, Pourchoti Philosophiam legat, quæ ad examen Philosophicum ante receptionem in Baccalaureorum numerum subeundum, sufficere poterit. Intra tres studii Theologici annos non quiescendum est à lectione atque meditatione illorum librorum, qui à Professoribus tractantur: universa autem Theologia ex solido quodam Theologo imbibenda est; ubi ego velim à lectione Petri Lombardi, qui Theologiæ Scholasticæ fundamentum est, initium faciant, eoque semel perlecto lectionem reiterent, collato commentatore bono, quos inter Guil. Estio meliorem nullum scio: quoniam vero ille non ubique eandem cum

scholis

ſcholis noſtris methodum ſervavit, nonnulli eorum Theologorum, qui noſtro tempore curſus Theologicos ſcripſerunt, utiliter conferri poſſunt; atque hic du-Hamelii à S. Lamberto curſum Theologicum ob dictionis puritatem, elegantiam atque perſpicuitatem in toto opere hoc conſpicuam reliquis omnibus præferendum cenſeo: nec ſterilis erit lectio libri de Doctrina Chriſtiana & Orthodoxa du Pinii, quippe qui ſolida Theologiæ principia in ſe continet. Interea tamen Sacræ Scripturæ ſtudium minime gentium eſt omittendum, legenda ea eſt à capite ad calcem uſque, unà cum aliquibus melioris notæ Commentatoribus, e. g. Tirino vel Menochio, & quod ad librorum ſacrorum auctores adtinet, ab initio ſufficit, Prolegomena du Pinii in Sacra Biblia legiſſe; quæ quicquid hac in materia Theologiæ ſtudioſo ſcitu neceſſarium eſt, exponunt; His aſſocianda eſt lectio atque ſtudium Chronologiæ, in Vitræi Bibliis contentæ, quæ Biblia incipientibus ſufficientem rei notitiam dabunt, his & aliis adjumentis candidatus eum habitum facile comparare ſibi poterit, quo in duplici examine Philoſophico & Theologico, ante receptionem in Baccalaureatum ipſi ſubeundo, ſatis ſit armatus.

Si quis finito examine ad defendendam diſputationem, *Tentativam* adpellatam, ad accipiendum Baccalaureatum admittitur, peculiare rebus huc pertinentibus ſtudium impendat; Agunt hæ diſſertationes plerunque de attributis divinis, Trinitate atque Angelis: mihi in rem eſſe videtur, initium earum facere à defenſione Veritatis

Reli-

Religionis Christianæ contra Atheos, Judæos, Mahumedanos, aliosque infideles, idque exoptatò ut succedat, argumenta eorum, qui de veritate Relig. Christianæ scripserunt, colligenda atque ponderanda sunt; quia vero horum librorum ingens est numerus, nec tam brevi exiguo temporis spatio omnes perlegi possunt, satis ad rem erit, si legantur Grotius & Abbadie, Paschalis Cogitationes, & si quando plusculum otii suppetit, Huetii Demonstratio Evangelica: Posthæc prima quæstio sub introitum actus *Tentativi* est de existentia DEI, quum jam perlecti fuerint Philosophici atque Theologici tractatus, in quibus argumenta de existentia DEI ex ratione deducta atque excussa sunt, cum objectionibus, quæ adversus veritatem hanc formari possunt; sed si quis existentiam DEI validius defendere cupit, eos conferat necesse est, qui ex professo eam demonstrarunt, e. g. Cartesius in suis Meditationibus & Jacquelotus de existentia DEI, aliaque contra Atheos scripta. De attributis divinis satis est legisse primum Petavii Theologicor. Dogmatum volumen. Articuli de scientia divina, Prædestinatione & Reprobatione peculiare poscunt studium; sed non est necessarium, abdita quæque in his quæstionibus rimari, nisi in actu *Tentativo* respondendum fuerit, sed sufficit, alicujus Theologi systema eligere, ejusque ductum sequi; solus Petavius & ad convictionem sui, & ad tuendum systema, quod quis erit amplexus, sufficiet. Quæstio de regno millenario, animarumque post mortem statu unum ex præcipuis articulis constituit, quique plerunque maximam di-

sputandi

tandi materiam in actu *Tentativo* præbet : non est autem, quod tuomet ingenio hâc de re plura indages, omnia in dissertatione du Pinii super Apocalypsin invenies collecta ; quæ adjicitur peculiaris quæstio : num Joannes Cap. XXII. Apocalypseos controversiam deciderit, an non? utrum animæ justorum statim post mortem, & ante judicium extremum, immediatâ DEI visione fruantur? tractatur in una Epistolarum Launoji; S. Bernhardi hac de re loca tam frequenter allegata sunt, ut facile ad fontem ipsorum recurrere, & Theologos, eorum explicationem molientes, consulere queamus.

Ubi ad Mysterium Trinitatis pervenitur, non in doctrinam solum, sed & in Historiam hujus articuli studiose inquirendum est. Petavii volumen secundum Dogmatum Theologicorum utrique parti magno est adjumento. Si quis suarum virium periculum facere vult, haud inutile erit, historiam Hæresis Sabellianorum, Arianorum aliorumque anti-Trinitariorum evolvere, quam in Tillemontii commentario, & in Hermantii Historia Athanasii reperiet. De dogmatibus quædam veterum opera legenda sunt, e. g. Hilarii & S. Augustini libri de Trinitate, & nonnulla Athanasii scripta, sed quod causæ viscera continet, est, ut quis argumenta Socinianorum, Trinitatem impugnantium, refutare valeat, docebunt hoc præclara de la Place opera, & incomparabile Georgii Bulli opus, quod defensionem Fidei Nicænæ inscripsit, de fide Patrum, qui ante Concilium Nicænum vixerunt. In disputatione Græcorum cum

Latinis de processione Spiritus Sancti scilicet, an procedat à Patre & Filio, an à solo Patre per Filium, Historia consuli debet: explicarunt eam, cum additione voculæ in Symbolo, *Filioque*, Allatius & Petavius, Reliquæ controversiæ de notionibus, relationibus, atque processionibus, à Theologis ordinariis sufficienter pertractatæ fuere, quos legere necesse est, rerum autem incognitarum quæstiones, cur e. g. processio Filii generatio dicatur, & non item Spiritus Sancti processio; & si Spiritus S. à solo Patre procederet, num à Filio distinctus esset, an minus? quæque sunt farinæ hujus sexcenta alia, hæ inquam quæstiones ita sunt comparatæ, ut meâ sententiâ melius omittantur; interim si recepto more disputationi *Tentativæ* inserantur, ea, quæ Petavius, aliique Theologi ordinarii habent, satis superque esse poterunt.

De Angelis tractatio brevior esse debet, quippe quæ ad duas tantum quæstiones restringitur, nempe de existentia, atque natura eorum: an dentur Angeli, habeantne corpora, an puri puti sint Spiritus? reliquæ quæstiones, quæ ex solido principio definiri atque decidi nequeunt, thesibus exterminentur, illis modo exceptis, quæ notitiam Angelorum concernunt, quam de nostris actionibus habere queant, deque Angelis tutelaribus quæstio ad Polemicam remittenda: in priores duas quæstiones exactissimi quidam Theologi, e. g. Estius, aliique solide inquisiverunt, quos legisse satis erit.

Forte quis objiciet, temporis spatium angustius inter examina & inter Dissertationem *Tentativam*

tivam intercedere, quam ut omnes, quos indicavimus, libros perlegere poſſis; reſpondeo, tantum temporis eſſe arripiendum, quantum potis eſt: quem autem temporis ſpatium deficit, compendia, ſummeque neceſſaria ad ductum exercitati cujusdam Viri legat: ſed ſi me audierit, non ſolum ante hanc diſſertationem, ſed & ante ipſum examen lectione operum paulo ante laudatorum diligenter & cum fructu ſe præparabit.

Tempus, quod inter actum, quo quis ad Baccalaurei gradum admittitur, & Licentiæ initium intercedit, impendio pretioſum haberi debet, unde ſors & eventus ſtudii Theologici dependet: datur ad præmuniendum ſe ad examen, & ad Licentiæ actus, qui ampliſſimas in ſe materias comprehendit, omnes ſcilicet articulos theologicos, imprimis articulum de Sacramentis, Scripturæ Sacræ, Conciliorum atque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudium. Satis autem auſpicate examinibus ſe accingit, qui melioris notæ Theologos de iis rebus conſulet, de quibus reſpondere tenetur, e. g. Eſtium, Maldonatum & Bellarminum de Sacramentis, Petavium de Incarnatione, Serrarii & Waltoni Prolegomena in Biblia, Rich. Simonii Hiſtoriam Criticam, du Pinii Prolegomena in Sacram Scripturam & nonnullos bonos Commentatores in univerſa Biblia, e. g. Eſtium in loca Sacræ Scripturæ difficiliora, ejusque in Epiſtolas Paulinas Commentarium, Maldonatum in Evangeliſtas: de Conciliis & Hiſtoria Eccleſiaſtica Uſſerii Annales velut compendium Hiſtoriæ Veteris Teſtamenti: Conciliorum generalium

um historiam per epitomen exhibitam in du Pinii Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum habebit, leget imo vero universam ejus Bibliothecam, quæ notitiam satis specialem de rebus in Historia Ecclesiastica gravissimis suppeditat, & P. Natalis Alexandri Historiam Ecclesiasticam, qui omnes quæstiones in formam scholasticam redigit: hæc ubi quis opera diligenter evolverit; in duobus examinibus bene stabit; insimul tamen ad dissertationem geminam præparare se poterit, genuinos auctores, quos supra jam indicavimus, de his rebus conferendo, imprimis eos, quorum lectionem de quavis thesi commendabimus maxime.

Sorbonicam quidem disputationem quod attinet; in quo plerumque articuli de Incarnatione, Legibus atque Gratia tractantur, veterum Patrum opera de his mysteriis conferri possunt, qui mysterium incarnationis, & imprimis Concilii Ephesini & Chalcedonensis decisiones investigarunt, unà cum scriptis ad Conciliorum actus spectantibus, nonnulla Cyrilli & Theodoreti opera. De quæstione, num dici possit, *unum è Trinitate passum esse?* consuli poterit Monachorum Scythicorum Epistola cum responsione Episcoporum Africanorum. Jo. Maxentii scripta, & Henrici Norisii de hac controversia liber. De Monothelismo sive de duabus in JEsu Christo voluntatibus consulantur acta Concilii Sexti, & quæ continentur in iis scripta, itemque Leontii & S. Maximi opera: de naturali JEsu Christi filiatione, Alcuini, Etherii, Paulini Aquilejensis & Ago-

Agobardi contra Felicem & Elipandum volumina, unà cum definitione Concilii Francofurtensis; & quemadmodum cum Articulo de Incarnatione plerunque omne id, quod ad Virginem Mariam, ejusque conceptionem attinet, combinatur, eos ut libros legas, quos hac de re supra indicavimus, necessum erit.

De actionibus humanis, peccatis atque legibus communiter Theologi in articulo de Gratia & Libero Arbitrio, quod sufficiat, dabunt, S. Augustini tamen atque auctorum aliorum, tam in nono, quam in præsenti hoc seculo hâc de materia scripta intacta minime relinquenda: cavendum tamen ante omnia est, ne opiniones nimium duras, nec novaturientes amplexemur, neve quæ in scholis recepta sunt, rejiciantur, atque à definitionibus Ecclesiæ recedatur. De quavis denique ratione, ad quam in actu Sorbonico respondendum est, ad probanda animi tui sensa, & ad objectiones diluendas paratus esse debes. Hoc ut absque difficultate præstes, tuoque argumento par existas, præcipuorum de his quæstionibus conscriptorum operum, quorum catalogum supra dedimus, lectio magnum afferet commodum.

Quæ in Minori actu ordinarie ventilantur, Sacramenta sunt; materia sane amplissima, in qua examinanda veniunt Scripturæ Sacræ oracula, perennis per omnia secula Ecclesiæ usus, loca Patrum, ubi de illis sermo fit, Scriptores Sacramentarii atque rituales: in compendium tamen studium hoc, diffusum alias, est redactum, cum

maxima quæstionum pars, quæ de Sacramentis moveri possunt, ab eximiis Viris methodice atque erudite nostro Seculo pertractata sit, quorum opera evolvenda prius, quàm dissertatio defendenda suscipiatur. De Sacramentis in genere præter Theologos supra nominatos e. g. Estium, Maldonatum, Bellarminum, conferri quoque merentur Melchior Canus, Pet. Arcudius, Casp. Ivenius & præfatio quam Vossius libro suo de Baptismo præfixit: de forma & materia Sacramentorum Joh. Morini Cap. 17. & 18. lib. 8. de Pœnitentia, it. Caput 12. lib. 10. ejusdem operis, & caput tertium dissertationis primæ de Ordinationibus; de intentione ministri Catharinus opusculo hac de re edito, Pallavicinus & Frater Paulus Sarpius in historiis suis Concilii Tridentini: Stayaerdi Difficultatum Pars IX. De Sacramento Baptismi nullum præstantius opus editum est, quam Gerhardi Vossii: de materia Baptismi dissertatio P. Harduini *de Baptismo in vino*: de formâ Bapt. P. Morinus Libro 8. de pœnitentia Caput. 16. de Baptismo in nomine JEsu Christi collato P. Harduini dissertatio & Benedictinorum notæ in Ambrosii locum, qui pro legitimo eum habere videtur: De quæstione num baptismus ab hæreticis administratus validus sit? negligendæ non sunt S. Cypriani de hoc argumento Epistolæ: S. Augustini libri de Baptismo, aliaque ejus contra Donatistas Opera, optati locus, quæstionem hanc respiciens, quæque du Pinius in præfatione editioni suæ Optati retulit, item dissertatio P. Nicolai: Launojus & David de Concilio Plenario & Til-

Tillemontii nota 44. in S. Cyprianum Tomum IV. Commentariorum suorum ad Historiam Eccl. De necessitate baptismi infantum veteres Polemici, qui adversus Anabaptistas scriptis suis insurrexerunt, & præcipue Cassandri hac de re libri, item Arnaldi Eversio doctrinæ moralis Libro VII. De statu infantum sine Baptismo defunctorum, Cassandri dissertat. aliaque jam relata scripta, quorum rationes omnes du Pinius in dissertat. in Apocalypsin recensuit. Quæstio de Baptismo super mortuis sive de eo, quod S. Paulus verbis his subintellexit, hûc non pertinet, si quis tamen in eam inquirere cupit, Spanheimii & P. Harduini dissertat. & Commentatorum in hoc Paulinum effatum sententias conferat. De ritibus baptismi evolvendæ sunt Vicecomitis Observationes, Launoji lib. de solemnitate administrationis Baptismi, ejusque de baptismo Judaicorum infantum liber, nec non Dallæi lib. I. de Cultu religioso. De confirmatione nihil est, quod addamus supra dictis. Ceterum de Eucharistia materia scilicet amplissima, præter illa, quorum supra mentionem fecimus, ac studii hujus delineationem velut dedimus, (lectorem eò denuo remittentes) hic libros lectu summè necessarios tantum allegabimus: nempe de præsentia reali Perpetuitatem Fidei cum continuatione Abbatis Renaudoti; De Eucharistiæ in ultimo Paschate institutione, P. Lamii lib. Nicol. Toinardi Concordiam Evangelist. Doctoris cujusdam Sorbonici contra Ludovicum de Leon Epistolam, Tillemontii notas in hanc materiam, ejusque ad P. Lamium Epistolam; de communione

ſub utrâque ſpecie, Boſſueti Epiſcopi Meldenſis & Larroquiani libros de Liturgia, Card. Bonam, deVertium & Grancolam, de cultibus religioſis: item Larroquani & Dallæi hiſtoriam: de adoratione Euchariſtiæ Boilleau: de natura ſanguinis JEſu Chriſti in corpore ſuo glorioſo Boileau & Alixium: de frequenti communione Petavium & Arnoldum: de Sacramento Pœnitentiæ in genere ſatisfuerit legiſſe tractatum Petavii Arnoldi & Sirmondi de Pœnitentia. De Contritione extant Epiſcopus Caſtorienſis, Launojus, Varetius & Boileau: De Confeſſione idem Boileau, P. Alexander & Sammarthanus contra Dallæum, quem legere ſimul haud parum proderit. De Canone: *Omnis utriusque ſexus*, Launojus: de Excommunicatione Evellonius & du Pinius; de Extrema unctione omnia dabunt Launoji San Beurii & Dallæi libri: De Ordinationibus Morinus grande opus ſcripſit; de Cœlibatu Clericorum, ad cognoſcendas objectiones, Calixtus de Conjugio clericorum legendus eſt, atque ut ad eas reſpondeatur, Theologi Catholici hâc de re ſcribentes, inter alios Ludov. Thomaſſinus Parte I. diſciplinæ Eccleſiaſticæ: De diſtinctione Presbyterorum & Epiſcoporum ex unâ parte legatur Blondellus in apologia pro ſententia S. Hieronymi de Presbyt. atque Epiſcopis: ex altera parte Henr. Hammondus & Jo. Pearſonius Angli, qui reſponderunt ei in defenſionem Epiſcopatus, addantur, quæ Joh. Morinus, aliique Theologi Catholici hâc de re dixerunt. De matrimonio Launoji, Galeſii, Gerbaſii atque Boileau ſcripta ſtudioſe volutanda ſunt.

De

De impedimentis matrimonii, ad quem pertineat ejus permiſſio & facultas; quatenus valeat, aut non valeat filii familiâs contractio matrimonii, libri Gentiani Herveti & le Maire inſpiciendi ſunt. De indiſſolubilitate matrimonii Cotelerii in Hermæ Paſtorem lib. II. c. 4. notam offendes, ubi omnia veterum hac de re loca congeſſit, & locus quidam in Launoji libro de matrimonio, nec non Commentarius Gotofredi in titul. 7. Lib. III. Codicis Theodoſiani. De adminiſtratore matrimonii Melchior Canus in locis Theologicis, Boſſueti diſſertatio, aliaque ſcripta: de caſibus in matrimonio obvenientibus conf. S. Beuve Caſus conſcientiæ & Semelerii novus Collationum de matrimonio liber: Tandem de omnibus cerimoniis atque uſibus Sacramentorum confer S. Gregorii Sacramentarium ex editione Hugonis Menardi, item Liturgias à P. Mabillonio editas cum præfatione ejus, Edmundum Martene de Vertium & Grancolam de ritibus.

Actus Major maximi eſt momenti resque omnium graviſſimas continet, quæſtiones ſcilicet generales de Scriptura Sacra, de Hierarchia, de juribus atque limitationibus Poteſtatis Eccleſiaſticæ & temporalis, de Hiſtoria Eccleſiaſtica, imprimis de Conciliis generalibus & Hæreſibus, deque præcipuis Chronologiæ atque Criticis tam in hiſtoriam ſacram Novi Teſtamenti, quam in Hiſtoriam auctorum Eccleſiaſticorum momentis.

De Scriptura Sacra libros, qui ſint legendi, jamjam indicavimus, ad Majoris Actus ſtudium ſufficient ſequentia Waltoni Prolegomena, Huetii

Demonſtratio Evangelica, Morini Exercitationes, Simonis Critica Veteris & Novi Teſtamenti, Arnaldus de Scripturæ Sacræ lectione, cum defenſione Verſionum Biblicarum: & du Pinii Prolegomena, omnes ibi Scripturæ Sacræ quæſtiones, quæ ad Majorem ſcholam ſpectant, prolixe explicatas reperire licet.

Quod *Hiſtoriam* Eccleſiaſticam concernit, ab accurata veterum hiſtoricorum lectione auſpicandum eſt, qui ſunt Euſebius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Theodori lectoris extractus cum egregiis Valeſii notis, Liberati Diaconi Breviarium, Marii Mercatoris Commonitoria, Lactantius de morte perſecutorum cum notis Toinardi aliorumque; deque Franciæ hiſtoria S. Gregorius Turonenſis: Præter hæc Conciliorum quoque generalium acta, & peculiares de diverſis quæſtionibus tractatus e. g. Num Petrus Romam venerit? vid. Pearſonius, Tillemontius & du Pinius. De miſſione S. Dionyſii ad Gallos Jac. Sirmondi, Petri de Marca & Launoji diſſertationes, de ſucceſſione Paparum & Epiſcoporum, de ſupremis ſedibus omitti non debent, quæ habet du Pinius in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica. De Vita B. Virginis Tillemontius, ſcripta Launoji & Jolii de morte & aſſumtione ejus. De Hiſtoria Hæreticorum in genere legatur S. Epiphanius, S. Auguſtinus & Philaſtrius, de Hiſtoria Pelagiana & Semi Pelagiana legenda ſunt opera S. Auguſtini, editionis noviſſimæ. Voſſii & Noriſii Hiſtoria Pelagiana: De quæſtione monachos Scythicos adtinente, num unus ex Trinitate paſſus ſit? Noriſii diſſer-

dissertatio: de historia Donatistarum, Optatus, nonnulli S. Augustini tractatus, historia Donatistarum in ejus operibus, & quam du Pinius Optati Milevitani novissimæ editioni præmisit; de Critica auctorum atque operum, Bibliotheca du Pinii sufficere potest, & in genere in omnem historiam ad seculum sextum usque Tillemontius rei satisfaciet. Ubi ad posteriora secula perventum fuerit, autores illi, qui literis aliquid de illis mandarunt conferendi sunt. De quæstione super tria capitula, acta Concilii V. & scripta hac de materia cum decretis Vigilii Papæ, de Historia Monothelitarum, acta sexti Concilii & speciatim opera auctorum modernorum eam de scribentium e.g. Garnieri dissertatio in Appendice Notarum ad librum diurnum Pontificum Rom. De imaginibus Conciliorum Orientalium hac de re acta, nec non auctores, qui in Occidente scripserunt, ac præ ceteris legendus Dallæus de Imaginibus & P. Mabillonii præfatio de imaginibus, quæ in actis Sanctorum ordinis S. Benedicti occurrit: de schismate Græcorum legantur, quæ Marca in opere de Concordia habet, & Allatii opus de Consensione Ecclesiæ Orient. & Occid. qui plenam eorum cognitionem suppeditabit, quæ ad Ecclesiam Græcam pertinent ab ipsius à Latina separatione ad hodiernum usque diem. In historia noni seculi lege, quæ Mabillonius in suis præfationibus & quæ Historia Mauguini tradit. De militia sacra Cruciatorum pervolve librum, qui inscribitur: *Gesta DEI per Francos.* Historiam schismatis Paparum Avenionensium, & Templariorum deletionem

exacte du Pinius consignavit, deque priori conferantur quoque Baluzii vitæ Paparum Avenion. cum notis. Historiam postremorum ab octavo Conciliorum Richerius in sua Conciliorum Historia tradit, imprimis quod Concilium Constantiense & Basileense corcernit. De Concilio Tridentino Petrus Suavis, i. e. Paulus Sarpius & Palavicinus consulendi.

Quæstiones de Hierarchia, deque juribus Paparum in Ecclesiam atque Reges, quæ in actu Majori agitari solent, satis ille expediet, qui legerit Richerii Apologiam Gersonianam, ejusque Historiam Conciliorum generalium, Launoji Epistolas, du Pinii dissertationes latinas de antiquâ Ecclesiæ disciplina, ejusdemque librum de potestate ecclesiastica & temporali, nec non Barclaji Patris & Filii hâc de re scripta.

De diversis denique quæstionibus particularibus historicis atque chronologicis, in Majori occurrentibus, modernos, qui eas pertractant auctores vide sis, & ut totam historiam una serie persequaris, Baronium, P. Pagi, Tillemontii commentarios, du Pinii Bibliothecam Ecclesiasticam & Natalis Alexandri Historiam perscruteris.

En materias, quibus curas impendere debet, qui Licentiæ actus suscipere atque tueri aggreditur; idem hoc studium in disputando ipsi proderit, nam dum quis opera ante nominata, attente legit, difficultates quoque in eis inveniet, quæ moveri ab utraque parte possunt, facultatemque sibi comparabit, sententias suis placitis contrarias refutandi, vel præcipuas difficultates proferen-

ferendi, quæ suboriri possunt contra sententias, quas alius quis defendit, & de qua ipsi disputandi forte persuasum est.

Quod reliquum est, quando librorum quorundam lectiónem commendamus, non ea nobis mens est, ut quenquam adstringamus, aut ipsi auctores simus sententias in illis obvias amplectendi: Magna theologis libertas concedenda est, ut opiniones probabiliores atque solidiores ipsis visas eligant, ipsos enim de eis judicare decet, minime vero aliorum judicio mancipari. Ut autem meliorem partem eligant, necesse est, ut bona fide & sine præjudicio diversorum auctorum auctoritates, rationes atque conjecturas examinent, argumenta, difficultates, consequentias probe ponderent, inter se comparent, atque ex illis ipsis systemata eorum forment, non ex opinionibus modernorum: sed ex veterum auctoritate, ad quam illi provocant, quorum & ipsi fontes adeant, necesse est; ut sensum recte teneant, indeque causæ vel robur vel imbecillitatem cognoscant.

Deduximus hactenus Theologos ad finem usque Licentiæ, ulterius progredientibus non audebimus studiorum regulas præscribere, quod ad disputationem pro summis in Theologia honoribus capessendis (*Vesperie* disputationem hanc vocant) pertinet, in Licentia sua hoc de negotio satis didicerunt, ut quæstiones generales in Scripturam Sacram, quæ recepto more illis inseruntur, defendant; ad quæstiones autem particulares rite decidendas, viam sibi facile sternent, nonnullos

Commentarios legendo, e. g. Bonfrerium, Estium & eos, qui principales difficultates in sacris litteris obvias enodarunt; de quæstionibus Moralibus, quæ in hac disputatione quæstionibus de Sacra Scriptura adjiciuntur, e. g. de Usura, Simonia, Mendacio, restrictionibus & reservationibus mentalibus, auctores modo indicatos, & in sequenti capite porro indicandos consulas.

Nemo vero sibi persuadeat, finito hoc studiorum cursu à studiis feriandum prorsus, animumque remittendum esse, imo vero studia hæc quasi Hermes vialis, ut ita loquar, atque dispositio ad studia magis ardua sunt, & ad munus illud, quo quisque fungitur, componi debent. Qui Theologiam profitentur, studio Sacræ Scripturæ dogmatico atque ecclesiastico illa accommodet; cui sermones ad populum sunt faciendi, moralibus ea, quæ didicit, tribuat; qui Ecclesiæ alicui præest, disciplinæ Ecclesiasticæ curas atque studia consecret: varietas denique conditionum, officiorum, vocationum objecta quoque aliasque materias, quibus mens est adplicanda, variare solet: interim, quocunque demum statu fueris, ut peculiare atque perpetuum in Sacræ Scripturæ studium colloces, summopere est necessarium.

CAPUT

CAPUT XXVII.

De modo atque ratione, verbum DEI prædicandi, de regulis in concionibus observandis, deque libris, quorum lectio prodest concionatoribus.

INter omnia officia ecclesiastica concionatoris munus gravissimum, summeque necessarium, insimul tamen ita comparatum est, ut nullum vitiis & erroribus magis sit obnoxium; licet enim maximus eorum numerus sit, qui concionibus operantur, proletariis tamen & nauci sermonibus nihil est frequentius. Fons & origo hujus mali præcipue inde oritur, quod illi, qui prædicandi laborem capessunt, facultate ac scientia necessaria destituuntur, quodque necessariâ illâ carent ideâ, quæ rationem verbum DEI commode & utiliter exponendi tradit, vel quia alium longe finem ac scopum quam debebant, sibi constituunt. Opinantur plurimi, haud multum ingenii atque industriæ ad habendas conciones requiri, satis esse, si quis mediocribus à natura donis atque eloquentia sit instructus, & muneri huic subeundo digne facile quemvis, nonnullorum librorum moralium vel Postillarum lectione, accingere se posse; sed turpiter, qui somniant talia, semetipsos decipiunt, certoque certius statuendum, verbum DEI neminem cum fructu atque rite prædicare valere, nisi literarum studiis omni cura atque diligentia, sese ministerio huic aptum & idoneum prius reddiderit. Igitur veritatibus atque regulis Evan-

Evangelicis plenus esse debet concionator, Scripturam Sacram ad unguem tenere, nec non in lectione ac meditatione Homiliarum atque sermonum, quos à Sanctis Patribus habemus superstites, exercitatum, ut spartam illam sanctam sanctè digneque adornare possit. Si concionator Sacrum Codicem familiarem sibi minus reddidit, si nullum ad Patrum lectionem studium contulit, paucis, si rei atque operi suo impar est, si quæ eloquitur non de sua ipsius sed aliûs supellectile profert, fieri plane nequit, ut de rebus divinis solide atque ubere quæstu ad populum verba facere possit. Hunc sibi finem Concionator proponat, ut auditores suos erudiat, atque commoveat; sed quomodo eos erudiat, cum ipse eruditione careat? quomodo eos commoveat, cum ipse eorum, quæ annuntiat, non est convictus, nulloque inflammatus affectu? Operam præterea det concionator, ut firmam stabilemque sibi habitum adquirat, mentem suam commodo verborum nexu, modoque haud communi, sed excellentiori exprimendi, quod ubi deficit, conciones ejus utcunque bono fundamento innitantur, exiguam parient utilitatem. At vero propterea illæ conciones non protinus in proletariarum numerum referendæ sunt, in quibus solidæ veritates & ædificationi nativo suo robore multum inservientes modo eloquendi subrustico, minusque concinno proferuntur, quando concionator donorum talium expers, gratia tali externa & habilitate sensa animi ornate exprimendi caret; hi enim defectus in eis, qui verbum DEI officii nomine prædicare tenen-

tenentur, tolerari possunt: sed enim vero, qui in oratoris Ecclesiastici munus se ingerunt ac velut intrudunt, dum talento verbum DEI paulo elegantius atque ordinatius prædicandi non sunt instructi; his peccatum hoc condonari prorsus nequit.

Fatendum est, majus adhuc vitium in eis deprehendi, qui cum dona concionandi habeant, nullo doctrinæ moralis christianæ profundiore studio prævio ad concionandum prosiliunt: inde fit, ut sermones prodeant, in quibus præter verba nihil invenies, aut in quibus inanes tantum speculationes, atque curiosæ cogitationes congeruntur, quas nemo mortalium in vitæ suæ emendationem trahere potest, quæque populi captum æque ac peregrinâ factæ linguâ declamationes transcendunt. Dantur insuper alii in ministerio isto abusus longe detestabiliores, si e. g. veritas, quæ facit ad ædificationem per damnabilem inertiam languide urgetur; si vel ex ignorantia vel ob commodum privatum immutatur; denique si ex profano placendi studio fatuorum risui exponitur. Missis his crassioribus vitiis, dantur concionatores, qui auditores intellectu rerum & judicio præditos importune offendunt, cum intempestivos de rebus parvi momenti clamores tollunt, immo de rebus nullius plane momenti bile exæstuant, & dehinc plurimas commotiones monstrosas produnt, quæ nil nisi erroneos conceptus plebeculæ imprimunt, sanioribus autem maximopere displicent.

Caput erroris atque seductionis, quod concionа-

cionatores frequenter de regia via ad falsam eloquentiam, ad inanes atque steriles cogitationes abstrahit, sine dubio inde est, quod longè alios fines, quam quos in subeundo ministerio habere debent, animo fovent. Eruditi, eloquentes, exercitatique videri volunt, acutos & ingeniosos se venditant, uno verbo, sibi ipsis, non auditoribus suis præconium faciunt, cumque ita loquantur, nec pro auditoribus, nec pro se ipsis loquuntur: anxiam in suis museis operam dant, ut speciosas cogitationes fingant, labore hoc memoriam onerant atque excruciant, deinceps eas magna confidentia venum exponunt; magis denique auditorii auram captare, quam animas erudire, & conscientias auditorum aculeo ferire student; licet secundum eloquentiæ ipsius profanæ regulas præcipuæ Oratoris partes in instruendo, commovendoque consistant. Nihil hic de moribus concionatorum loquor; tametsi certissimum est, quod si muneri suo utiliter præesse cupiant, necesse sit, ut non solum verbis, sed etiam vitâ suâ doceant, & quæ docent, factis ipsi exequantur, aliàs jure ipsis objici poterit, quod S. Apostolus Paulus sui ævi Judæis legem prædicantibus sed opere minus exprimentibus dictitat: *Qui doces alium, teipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non adulterandum, adulterium committis: qui execraris simulacra, sacrilegium admittis, &c.* Rom. II. v. 21. Tales sunt illi, qui verbum DEI nunciant, dum ipsi vitiis jacent immersi, vel eo tempore, quo nihil aliud, quam seriam peccatorum suorum pœnitentiam meditari debeant, quibus

bus Rex Propheta prædicationem verbi divini his interdicit verbis : *Peccatori autem dixit DEUS, quare tu enarras justitias meas & assumis testamentum meum per os tuum?* Ps. L.

Verum est, ex deterioris quoque notæ concionibus profectum tamen aliquem nasci posse, verum est, bonas quoque conciones malo animo habitas populum instruere atque commovere, sed eapropter nec prioris nec posterioris generis concionatores ejusmodi excusabiles sunt ; non priores, quia id, quod dicere debebant, silentio prætereunt ; non posteriores, quia non eo modo, quo par esset, vitam agunt. Priores illud bonum, quod efficere possent, per proletarias suas conciones intermittunt, & posteriores auditores suos propter malum exemplum, quod præbent, ædificare nesciunt. Ex priorum concionibus absque instructione & commotione, ex posteriorum autem concionibus absque sufficienti ædificatione, immo non sine frequenti indignatione, ne dicam contemtu personæ eorum, imprimis si malo animo erga veritates traditas aliquis ex parte affectus est, disceditur.

Tres olim sicut hodie concionandi modi fuerunt : 1°. Instructiones familiares pro catechumenis vel idiotis, ut religionis principiis, nostris mysteriis, veritatibusque doctrinæ moralis maxime necessariis imbuerentur. 2°. Homiliæ in Scripturam Sacram, in quibus non solum Scripturæ Sacræ textus explicabatur, sed etiam occasio sumebatur, de præcipuis doctrinæ moralis capitibus populum erudiendi. 3°. Sermones in aliquod

doctrinæ moralis caput, in mysterii articulum, vel in sancti alicujus vitam. Primus docendi modus simplicissimus, non tamen omnino sterilis esse debet, sed altius interdum atque sublimius assurgendum, nec simplicibus semper terminis in catechismo consuetis utendum, imitando S. Cyrillum Hierosolymitanum, S. Augustinum, aliosque Patres, qui catechisationes sermonesque ad Neophytos habuerunt. In secundo erudiendi modo, qui Parochis maxime convenit, nihil est utilius, quam si S. Chrysostomi methodus observetur, qui explicato prius Evangelii sacri textu morale quoddam caput in textum optime quadrans, pertractat, considerationes quoque, ut plures ex Patribus fecerunt, allegoricæ sive morales in singulos, quos explicamus versus, formari possunt. Quod tertium & ultimum prædicandi modum, cui hodie *Sermonis* nomen veluti proprium imponunt, attinet, optandum utique esset, ut omnes sermones semper egregii, quid è principiis doctrinæ moralis accurate expositum atque descriptum continerent, quod extantiores in vita christiana defectus nobis ostenderet, quod vitia in apricum daret, horroremque ab eis incuteret, quod virtutes quasdam nos edoceret, & ad earum praxin auditores instigaret. Utile quidem est, virtutes atque vitia per partes describere, sed neque nimium temporis hujuscemodi descriptionibus impendendum, neque gratiores magis, quam utiles descriptiones faciendæ sunt; sæpe auditores suos vitia hactenus ignota concionatores docent, qui vividioribus ea coloribus depingunt, eorum-

que

que doctrina moralis melius in gentilem Philosophum, quam christianum Oratorem caderet: Licitum est utique rationibus atque momentis moralibus uti, quæ naturalis ethica suggerit, verum in eis mora trahenda non est, sed semper ad principia christianæ ethices referri ea debent. Quod ad methodum attinet, nullas de ea regulas antiqui tradidere, nulla in eorum sermonibus præloquia, nullas divisiones & subdivisiones, quas hodierni homiletæ ad superstitionem usque sæpius adhibent, reperies, & nihilominus rem facunde proponebant: quia tamen usus eas introduxit, ab iis temere non est abstinendum, cavendum tamen, ne præloquia, quæ salutationis Angelicæ (posterioribus demum Seculis excogitatæ, nullum antea in antiquitate fundamentum habentis) recitationi præmittuntur, materiæ tractandæ disconveniant, ut divisiones naturales sint atque legitimæ, ut numero haud magno absolvantur, ut exordium simplex atque breve sit, ut epilogus afficiat, veritatesque antea traditas repetat. Mos hodiernus sermoni precibus ad DEum factis colophonem imponendi, antiquæ praxi convenit, utiliter adhibitus semper fuit, recteque, retinetur. In sermonibus de Mysteriis explicationi scholasticæ haud inhærendum, sed expositis eis modo plano atque simplici, solidisque probationibus allatis, evitando controversiarum turbam, morales inde doctrinæ sunt eruendæ. Postremò sanctorum panegyricis, fabulosum nihil immiscendum, nihil immodice extollendum, sed enarrandis eorum infu-

catis virtutibus populus erudiendus & ad imitationem excitandus est.

Indicavimus jam Patrum aliorumque auctorum opera oratoribus sacris lectu perutilia, restat nunc, ut quomodo legendi sint, hic explicemus: 1°. Necessarium est, ut Scriptura Sacra, imprimis morales Veteris Testamenti libri e. gr. Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Ecclesiasticus, liber Sapientiæ totumque Novum Testamentum unâ serie legendo atque meditando exhauriatur: Scripturis enim quasi innutriaris oportet, cum eis eam contrahas familiaritatem, ut memoriâ penitus complectaris, ita ut quum ratio postulat, expeditè quæque depromere & ad usus morales apposite allegare valeas. Nihilo tamen minus necessarium est ex Patrum scriptis doctrinæ moralis capita eruere, cogitationes eorum, immo ipsas loquendi formulas in usum vertere, elegantissima loca excerpere, ut datâ occasione allegari queant, eorumque exhortationibus atque rationibus prudenter uti. Quando quis concionatorum hodie maxume celebrium sermones legit, eorum sequi methodum debet, eorum modum atque rationes materiam digerendi, atque figuras & expressiones, quibus illi ad commovendos auditores utuntur, adtendere; sed caveat sibi, ne serviliter iis addictus, eos totos exscribat, ut nonnulli inepti concionatores faciunt, qui aliorum sermonibus vel centonibus ex diversis sermonibus, quos in unum corpus sine genuino atque naturali nexu & ordine conglomerant, superbas christas attollunt.

ſunt. Concionator ex ſuo ærario thema, illiusque elaborationem depromere debet, mutuari quidem ab aliis cogitationes poteſt, ſed eas adpropriet, & ut ita loquar, ſuas reddat, neceſſe eſt, ita ut proprii Martis opus & labor honorem ipſi conciliet, cœtusque publicus in eo ſine hæſitatione adquieſcat.

Alia inſuper quæſtio decidenda hic occurrit, num concionator ſermonem ſuum chartæ vel memoriæ ad verbum mandare debeat; vel an ſufficiat, diſpoſitionem illius tantum in chartam conjicere, reliqua ſenſui atque imaginationi ſuæ committere, atque ex tempore, uti dicunt, eum proloqui? quæſtio hæc ut rite ſolvatur, diſtinguendum eſt inter varia concionum genera, diverſos inter auditorum mores, variosque concionatorum characteres. In genere hoc verum eſt, quod ſive excellentiam miniſterii prædicantium, ſive ſtudium moresque auditorum ſpectes, nemo nimia diligentiâ, quantacunque ſit, ad habendas conciones præparare ſe poſſit, minima hac in re negligentia irreparabile damnum creat, quo verbum DEI contemtui exponitur, fructusque alioquin certo ſperandus impeditur. Interim cum de ſuggeſtibus ſermones tantum familiares, captuique auditorum convenientes facere, jus fasque poſtulet, ſupervacaneum & inutile fuerit, ſermoni elaborato & polito operam dare; ſufficiet accurata meditatione rem, de qua dicetur, tenere ideam, ſeu diſpoſitionem, quâ ratione methodoque ſermonem proferre cupias, formare: ſic ubi omnia dicenda, locaque alleganda in mente diſpo-

ſueris, reliqua ut res ſeſe dederint, mentis agitationibus committenda ſunt, quæ ex tempore ſe ingerunt, quæque DEUS inſpirare voluerit; *Dabitur vobis in illa hora.* Sed in concionibus ſolemnioribus coram cœtu celebriori atque nobiliori ſive à numero, ſive à dignitate auditorum tali, habendis, optime fecerit, quisquis Sermonem ſacrum prius ſtudioſe confectum, auditores ipſe ſuos reveritus, memoriæ totum tradiderit, ut nihil proferat, niſi quod juſtum ac legitimum dictu fuerit, mentemque concinnis atque elegantibus verborum terminis explicet. Hoc inprimis omnes illos obſervare cum cura decet, qui novi ſunt in munere concionandi: nam ſane diuturnum in eo concionatore exercitium requiritur, qui ab iſta lege eximere ſe ſatagit: Interim fuerunt & olim ejusmodi extemporanei, & adhuc ſunt, qui poſt uſum longiorem ac diuturnum exercitium haud opus habent, ad regulam de conceptis verbis adſtringi, & quibus rei pertractandæ quædam præmeditatio, diſpoſitio atque diſtributio concionis ſufficit, quique totum ſermonis complexum absque titubatione proferunt; beatos hos prædices, qui ad hunc perfectionis gradum ſunt evecti. Sed quam rara fortuna hæc eſt! & quam exiguum eâ gaudentium numerum offendes!

Non equidem hujus loci eſt, ut regulas atque præcepta hîc demus, quomodo ſit perorandum, non poſſumus tamen, quin concionatores admoneamus, neceſſe eſſe, ut ſermones ipſorum, veritatum quas docent gravitati conveniant; procul abſint à cathedra Evangelii declamationes thea-

theatrales, gesticulationes, vox affectata & coacta, omnisque actio, quæ dignitati verbi divini adversatur? Hoc, hoc præcipue Prædicatoris officium est, ea quæ dicit animare, ut auditorum affectus commoveat: quas sibi veritates sumit stabiliendas, eas decorâ cum gravitate exponat, in vitia strenue detonet, virtutem tali depingat penicillo, qui eam amabilem reddat: verum ne quid nimis ullibi, ne extra oleas feratur, neque infelicem agat ludionem: in omni denique actione, & in omni gestuum compositione dignam illam gravitatem, divino verbo congruam, imprimis autem summam præ se ferat modestiam. Audaces isti blaterones, qui gestibus atque rationibus suis ferociam quandam, & intolerabilem auditorum contemtum produnt, minime amantur, æstumanturque: vultus in concionatore simplex, humilis atque modestus benevolentiam favoremque audientium sibi conciliat, eosque permovet, ut eò majorem ipsi fidem habeant, ac veritati ab eo traditæ eo lubentius aures præbeant. Vocis sonus & gravis & modestus sit, inprimis in Exordio, & in rebus, quæ singularem haud postulant contentionem; elevare quandoque vocem licet, ubi scilicet in scelera insurgitur, aut ad virtutem fit cohortatio, & in absconditos conscientiæ recessus descenditur, operaque datur, ut peccator in viam redeat, in ejusmodi occasione moderatus affectuum motus permittitur, at vero in extrema hic nunquam est prorumpendum.

Dabit nobis veniam hoc loco lector, ut spero, quando in materia, quæ parum ad forum

nostrum spectare videatur, paullo forte longiores fuimus; cur enim, dum de studiis theologicis agimus, conciones, ad quas illa præcipue referuntur, silentio prætereamus? cum officium hoc ad salutem fidelium maxime necessarium, atque inter munia Ministerii Ecclesiastici longè gravissimum existat.

CAPUT XXVIII.

De ratione Theologiam Moralem respectu directionis conscientiarum, & decisionis casuum conscientiæ addiscendi.

DUo doctrinæ moralis genera sunt, alterum prædicationem, de quibus modo diximus, alterum directionem conscientiarum (quod Confessariorum munus est) & resolutionem casuum conscientiæ respicit: hoc genus, quomodo studio & usu sit prosequendum, præsenti dicturi sumus capite.

Conscientiarum directio ex præcipuis est Ecclesiasticorum officiis, quippe, ad quod etiam ut plurimum adhibentur. Jam, cum lux mundi sint illi ad illuminandos & ducendos fideles in via salutis; si lumen hoc in eis tenebræ oppresserint, in consilium eos frustrà adhibebis: ipsi itaque illuminati prius esse debent, quam alios illuminent, ubi enim cœci sunt, in eam incident calamitatem, quam evangelium JEsu Christi prædixit:

dixit : *Si cæcus cæcum duxerit, in foveam ambo cadent:* ſic non eſt dubium, quin præcipua Eccleſiaſticorum cura hæc ſit, idoneos ſeſe reddere, ut animas regant, ut ſalutis viam ipſis oſtendant, ut officii ſui eos admoneant, ut infirmitatibus atque malis eorum medeantur, ut difficultates atque dubia, cum quibus illis confligandum eſt, tollant, ubi hæſitant, bona ne conſcientia facere quid poſſint, an minus? ut denique judicium, quod ipſis ex jure divino in Pœnitentiæ tribunali competit, tanquam digni & fideles miniſtri exerceant. Indicavimus jam ſupra libros ad diſcenda dogmata moralia atque caſuum conſcientiæ evolvendos: potius ergo nunc fuſius exponemus, quali eſſe animi habitu atque diſpoſitione debeant Confeſſarii, ſive conſcientiarum directores illi, nec non rationem atque modum, quem maxime in ſuis inſtructionibus atque deciſionibus tenere debent. Res forte nonnullis à propoſito noſtro aliena videbitur, ſed cum nos omnia, quæ ad ſtudia theologica pertinent, complectamur, modumque ſtudiis illis cum Eccleſiæ fructu utendi: & vero directio conſcientiarum, caſuum deciſio & adminiſtratio Sacramenti pœnitentiæ partem ſtudii Theol. haud contemnendam conficiant, haud arbitror, quos materia pertractanda nobis conſtituit fines me tranſcendere, regulas ad directionem, principia ad deciſionem caſuum conſcientiæ, & doctrinas in ſacello confeſſionario proponendas, tradendo.

Quamvis omnes chriſtiani ſui quisque officii debitique, tum gnari tum memores eſſe de-

beant, & Evangelium instructionem hanc largiter suppeditet, necesse tamen est, ut illi Pastorum suorum aliorumque, quorum curæ & inspectioni commendati sunt, vocem audiant; atque hoc officium, animas ad DEum perducendi, magnam scientiam atque prudentiam postulat. Id quod respiciens Gregorius M. dixit: *Ars artium regimen animarum.* Opus est ante omnia scientia, ut eorum, qui ducuntur, intellectus lumine vero impleatur, eorumque lapsus in præcipitia impediatur, si forte per vias ab Evangelio alienas ducerentur: ad hæc prudentia opus est, ut media personis ex officio regendis maxime convenientia adhibeantur. Hauritur scientia isthæc dirigendis animis necessaria, ex Scriptura Sacra, Conciliorum canonibus, Patrumque scriptis sententiisque, hîc limpidas istas atque fœcundas scaturigines aquæ vivæ in vitam æternam emanantis deprehendis: *fontes aquæ salientis in vitam aternam,* Quisquis ergo ad ministerium hoc se accingit, è fontibus hisce infallibilibus certas sibi regulas desumat: sed porro prudentia quoque uti in earundem adplicatione debet, ne in vitium austeritatis atque rigoris delabatur: necesse est, ut remedia ad modum roboris aut infirmitatis eorum, quos sanandos suscepit, temperet, ut omnibus omnia fiat, nihil tamen obligationum essentialium christiani ob status sui conditionem remittat. Dinique ut officio hoc digne fungatur, nullam aliam intentionem, quam personæ salutem, cujus curam agit, habeat; nihil ejus auribus laxa aliqua conniventia det, nec indecora severitate horrorem

ei injiciat; ſummo vero opere niti debet, ut officii Chriſtiani, quod incumbit, partes ipſi inculcet, modumque ad implendi eas ei ſuggerat: in conſiliis ipſis dandis prudens ſit, legem ſemper ſequatur, falſos ne adtendat prætextus, quos homines pro diſpenſatione allegare ſolent, verum juſtitia atque veritas ſummæ ſemper regulæ ſint, quas ſibi & aliis obſervandas proponat; inſuper ſermones inutiles, quibus implicari poteſt, quæſtiones ſcrupuloſas ſine cauſa circa religionem motas fugiat, nec directionis ſuæ munus in abuſum occupationis indignæ atque perpetuæ trahi patiatur. Quam multi ſunt directores, qui nimia facilitate, immo etiam interdum placendi ſtudio multum temporis cum ſuis, quos regendos accepere, perdunt, cum tamen nullum exinde fructum percipiant, nullaque vitæ earum emendatio reſultet? Qui à confeſſionibus eſt, ſive director, curis tantum realibus & veris, eorum quos moderatur, aures commodet, ut in viam eos rectam immittat, officia cuique ſua injungendo; utque reducat de via aberrantes, ſed nec audiendis ſermonibus ſupervacaneis, neque etiam proloquendo tempus ſuum perdat. Nolumus circa hunc articulum eſſe copioſiores, quippe qui noſtri fori haud eſt, quæ autem de illo paucis diximus, ſufficient, ut qui à confeſſionibus ſunt, exinde cognoſcant, quam ſcientiam habere debeant, modumque, quo uti, aliosque regere debeant.

Venimus nunc ad caput aliud, quod à ſcopo, quem tractandum ſumſimus, propius abeſt, videlicet ad deciſionem caſuum conſcientiæ, hoc

eſt, ad difficultates, quæ ſuper ea, quæ bona conſcientia agi vel non agi poſſunt, necti ſolent? quid peccatum ſit, quid non, quid facere teneamur, ſi officio noſtro rite fungi volumus, vel quid omittere citra noſtri officii detrimentum queamus. Habemus enimvero duas de omnibus actionibus noſtris regulas; legem & conſcientiam. Quicquid legi adverſatur, in ſe & ſuâ naturâ malum eſt, quidquid contra conſcientiam eſt, reſpectu ejus, qui aliquid committit, malum eſt. Si conſcientia legi conformis eſt, nullo modo excuſari ille poterit, qui actionem legi atque ſuæ conſcientiæ contrariam patrat: ſi quis conſcientiam habet erroneam, ut actionem legi contrariam arbitretur, licet non ſit, ubi contra conſcientiam ſuam hac occaſione agit, licet ſecundum legem agat, nihilominus peccat: ſi ſecundum conſcientiam contra legem agit, ſi lex hæc ejus eſt conditionis, ut ignorari nequeat, ſi denique nullam ex ſua parte ignorantiam invincibilem obtendere poteſt, hujus quoque criminis coram Deo reus erit: ſi dubitat, num actio hæc illave permiſſa, aut interdicta ſit, conſulere debet 1°. Proprium ſcientiæ ſuæ lumen. 2°. Viros intelligentia & cognitione præſtantes, tum neque parti neque commodo ſuo deditos: fatendum interim eſt, quod dicit Cicero, validum eſſe noſtris in mentibus præjudicium, rem, quam agi poſſe conſcientia tua dubitat, prohibitam cenſeto. Nihilo tamen minus dubia quandoque male fundata, & ſcrupuli nullius ponderis foveri poſſunt. Neſciunt ſimplices legum omnium divinarum aut

quas

quas natura fert amplitudinem, nec eousque scrutando penetrare possunt: quin falli interdum, sibique religioni ducere possunt illud facere, quod tamen non est prohibitum; præter hæc humanæ leges multæ ignorantur: igitur in ejusmodi casibus eos adire opus est, qui peculiare ad res istas studium contulere, ut ab iis decisiones mentem tranquillantes nanciscantur, quarum ductu tutò progredi queat. Quemadmodum in hac vita ad salutem nihil est majoris momenti, quam consilium sanctum: ita nihil majoris periculi, quam si quis audeat, ejusmodi decisiones dare, cui intellectus acumen, debitaque capacitas desit: itaque illi, qui facultatem istam profitentur, vel qui ad conscientiæ casus decidendos muneris sui impulsu feruntur, studium suum peculiariter ad id negotium conferre debent, illorum est: 1°. Divinam legem diligenter meditari, ejusque complexum tenere universum, tum esse in tenendis ejus præscriptis imobiles. 2°. Necesse est, ut Conciliorum canones, Ecclesiæque usum tam veterem, quam modernum habeant cognitum. 3°. Sicut permulti in disciplina ecclesiastica casus dantur, qui à jure canonico dependent, ita necessum est, ut vel minimum legerint Gratiani decretum, & ad illud tanquam ad fundamentum usus moderni ferente occasione confugere norint. 4°. Haud inutile ipsis foret, si meliores juris canonici commentatores, celebrioresque casuistas perlegerint; his scilicet decisiones suas superstruere poterunt; evitatis tantummodo duobus excessibus, quorum prior frequentior est, in eoque con-

consistit, si per falsas legis interpretationes supina indulgentiam connivent. 2°. Si literam, terminosque legis secuti, nervo atque spiritu illius haud attento, rigide nimis decidunt: Demum ex una tamen parte cavere summo studio debent, ne erroneas modernorum nonnullorum casuistarum opiniones, jure ab Ecclesia damnatas sequantur, ex alterâ autem, ne quid velut præceptum urgeant aut obtrudant, quod merum est consilium. Denique in omnibus suis decisionibus justitiam atque æquitatem, tanquam summam omnium actionum regulam, ob oculos sibi semper ponant, nihil aliud attendentes, nullamque personarum rationem habentes: non ut mendaces Prophetæ respondeant, illud modo respicientes, quod consulentium animos demulceat; sed illud intrepide eloquantur, quod dicere veritas jubet, postulatque, licet difficile, durum, atque ingratum sit: Nunquam suffulciant delicatulos ac remissiores pulvillis mollioribus, nec unquam in securitatem eos falsam reponant, sed ferro & igne malum resecandum radicitus, absumendumque curent.

Atque hæ sunt regulæ præcipuæ, quæ inprimis in audiendis confessionibus usurpandæ veniunt: nostrum non est, amplius ex spatiari, quod & locus hic prohibet: modernorum pariter atque antiquorum hâc de re scripta consuli poterunt, & inter alia S. Caroli Borromæi regulæ, quas Clerus Gallicanus adoptavit, posuitque velut aggerem adversus conniventias, quæ palam irrepunt. Indicavimus jam opera nonnulla, ex quibus regulæ in administrando Sacramento Pœnitentiæ obser-

observandæ peti possunt, largiorem tamen copiam in secunda parte sumus designaturi.

CAPUT XXIX.

De studio Juris Canonici.

QUamvis Jus Canonicum peculiarem scientiam à Theologia distinctam conficiat, affirmari tamen nihilo secius potest, studium hoc esse partem Theologiæ, imprimis autem juris antiqui studium, immo & moderni, respectu temporis præsentis, hoc, ut certo teneatur, ad originem tantummodo juris ecclesiastici recurrendum est. Ecclesia à JEsu Christo fundata, per Apostolos formata, & per omnem terram propagata, in unum hominum corpus coaluit, qui per unam fidem, eorundem Sacramentorum participationem, & per externa mutuæ charitatis, quam communionem adpellant, vincula inter se arctissime uniuntur. Corpus hoc Ecclesiasticum per pastores suos gubernatur, qui ad unum idemque opus faciendum amica harmonia devincti sunt, nempe ut conservent doctrinam à JEsu Christo & Apostolis traditam, utque disciplinam, quà corpus Ecclesiasticum in morum regimine atque obedientiâ erga legitimos Episcopos continetur, conservent. Equidem certum est, jurisdictionem eorum tam quoad originem, tam quoad effectus suos, nonnisi de rebus spiritualibus leges ferre, nullasque alias pœnas, quam quæ bona spiritualia respiciant, infligere posse. At & hoc ejusdem est

certi-

certitudinis, Episcopos Apostolorum successores leges ferre, pœnasque de rebus spiritualibus, quæ decorum & administrationem Ecclesiæ concernunt, dictare potuisse; leges hæ *Jus Canonicum* vocantur, quia inde ab initio è Conciliorum constitutionibus sive regulis collectum, quibus nomen canonum ordinarie impositum fuit. Tales prodierunt inde à primis Ecclesiæ seculis, neque hoc institutum ad nostra usque tempora fuit interruptum. Leges hæ sive Canones facti sunt vel à Conciliis Provincialibus, vel à Conciliis plurium Provinciarum, vel à Conciliis generalibus, inque universa Ecclesia legis vim obtinuerunt; quando Canones illi ubique recipiebantur. Hinc etiam collectiones canonum diversis temporibus factæ sunt, quæ adinstar regularum Ecclesiarum directioni inserviebant. Harum prima & antiquissima, prout mihi videtur, est Constitutio Canonum Apostolicorum, qui Canones absque dubio non sunt Apostolorum, sed tamen variis in Conciliis trium priorum Ecclesiæ seculorum habitis, conditi videntur. Jungimus huic collectionem Canonum Concilii Eliberitani, quam & ipsam collectionem vetustiorum Canonum esse credimus. Arelatense primum Concilium Canones aliquot pro universo Occidente fecit, Papamque Sylvestrum rogavit, ut illos publicaret, suâque auctoritate muniret, quia diœceseos omnium celeberrimæ in Occidente caput fuit. *Placuit, per te, qui majores diœceses tenes, potissimum omnibus insinuari.* In Oriente diversa Concilia jam ante Nicænum habita fuere, quæ gravissimas de disciplina

Ec-

Ecclesiastica constitutiones fecerunt, e.g. Concilium Ancyranum, Neocæsariense & Laodicense, hæc demum Concilium Nicænum sequebatur, cujus viginti Canones ab universa Ecclesia unanimi consensu recepti sunt. Ejusdem auctoritatis habiti sunt Canones Conciliorum generalium, quæ subsecuta sunt, Canones scilicet Concilii Constantinopolitani, Ephesini atque Chalcedonensis. E Conciliorum canonibus, quos modo indicavimus, *Codex Canonum Ecclesiæ Universæ* fuit compositus, constans 1°. Ex canonibus Concilii Nicæni, tanquam celebrioribus, fideque dignissimis; 2°. Viginti quinque Canonibus Concilii Ancyrani; 3°. Quatuordecim canonibus Concilii Neocæsariensis; 4°. Viginti canonibus Concilii Gangrensis; 5°. Quinque & viginti canonibus Concilii Antiocheni; 6°. Quinquaginta novem canonibus Concilii Laodicensis; 7°. Septem canonibus Concilii Constantinopolitani; 8°. Octo canonibus Concilii Ephesini & 9°. ex viginti novem canonibus Concilii Chalcedonensis. Ecclesia Africana Conciliis quoque fertilis fuit, in quibus elegantissimæ constitutiones factæ, & in peculiarem Ecclesiæ Afr. codicem canonum congestæ sunt. Ita & Ecclesiæ Romanæ, Gallicanæ, Hispanæ, Conciliorum suorum codices ab initio quinti seculi habebant. Decretales Paparum, epistolæ inserebantur codici canonum Romano; quin & codicibus aliis aliaruam Ecclesiarum, qui præcipue ex canonibus Conciliorum Orientalium, & ex canonibus suæ regionis compositi fuerant. Collectiones has originales secutæ sunt collectiones Canonum

num à privatis hominibus compositorum; sub initium sexti seculi Dionysius Exiguus collectionem canonum in Ecclesiæ Romanæ usum fecit, ut & Collectionem Decretorum Pontificum Romanorum, & Ferrandus Diaconus collectionem plurium canonum sub titulo *Breviatio Canonum* edidit, hunc Cresconius Afer Episcopus imitatus, aliam scripsit, & Martinus Braccarensis pro Ecclesia Hispana collectionem seculo septimo publicavit. Denique Isidorus Mercator novam Canonum collectionem elaboravit, cui supposita Paparum decretalia inseruit: Curia Romana novum hoc jus, utpote prætensionibus suis favorabile ubique terrarum prævalere voluit, sed eodem tempore Carolus M. ejusque successores præcedentium Regum imitatores, per Episcopos suos regni sui capitularia ex antiquis Conciliis deprompta confecerunt, auctoritate atque privilegiis muniverunt, ut illis in Regno suo legis vim conciliarent: collectionem eorundem Ansegistus & Benedictus Levita fecerunt. Hæ leges vigorem etiam atque vim suam in Gallia ad initium usque tertiæ Regum stirpis, nimirum Capetinæ, retinuerunt, à quo tempore legati Papales novum jus, fundatum præcipue Paparum decretalibus & collectione Isidori introduxerunt. Tum, qui subsequuti sunt canonum collectores alii ad antecessorum recentiorum morem se composuerunt; videlicet Regino Abbas Prumensis, Burchardus Episcopus Wormatiensis, Anshelmus Episcopus Lucensis & Yvo Carnotensis, qui præcipue studia sua in has canonum collectiones contulerunt.

Sed

Sed collectio Canonum, quam Gratianus sub titulo *Concordantia discordantium Canonum, sive Decretum* emisit, omnium maxime in usu fuit, & ab omnibus in genere recepta, opus hoc in tres partes divisum est, in quarum prima tractatur de principiis juris, i. e. de jure divino & humano, de ordinationibus & ministris Ecclesiæ, tam superioribus, quam inferioribus, & quas habere debeant qualitates, hæc in centum atque unam distinctionem est distributa. Secunda pars titulum fert: *Causarum*, quia in ea tractatur de judiciis Ecclesiasticis tam civilibus, quam criminalibus, deque eorum materia, tam quoad vim illius externam, quam internam, ob hanc etiam causam prolixe de matrimonio atque pœnitentia, ad quos articulos maxima horum judiciorum pars pertinet, hac in parte verba fiunt: absolvitur Causis sex & triginta, quarum tertia & trigesima septem habet distinctiones, quibus de Pœnitentia agitur. Tertia pars habet quinque distinctiones, quibus titulus est, *de Consecratione*, ideo quia hæc pars ab Ecclesiarum consecratione incipit, insimul agitur deinceps de Eucharistia, Baptismo atque Confirmatione, nulla autem extremæ unctionis in ea fit mentio. Decreto huic Gratianeo quinque Decretalium post tempora illius compositorum libri sunt annexi. Notandum enim, Papas jam pridem auctoritati suæ magno cum zelo invigilantes antecessorum suorum decretalia compilasse; extiterunt siquidem compilationum istiusmodi ante Gregorianam quinque: 1ma. compilatio Bernhardi Fajensis Episcopi. 2da. Alani, Gilberti & Jo. Galli. 3tia. Pe-

tri Beneventani. 4ta Anonymi cujusdam. 5ta. compilatio epiſtolarum Honorii III. Omnes modo recenſitæ compilationes, cum Gregorio IX. ſucceſſori Honorii, quique ſedem tenuit ab 1237. ad 1241. minus accuratæ viderentur, aliam ille novam componi juſſit, quæ nunc ſecundam collectionis, quod Corpus Juris Canonici dicitur, partem abſolvit. Ceterum hæc Collectio Gregorio IX. non ſolum ex decretalibus Paparum, conſtat, qui à tempore Eugenii III. vixerunt, quo tempore Gratianus ſuum congeſſit opus, ſed etiam ex nonnullis Sacræ Scripturæ locis, tum ex SS. Conciliorum, atque Patrum centonibus ad exemplum Gratiani: diviſa eſt in quinque libros; quorum primus agit de judicibus i. e. Prælatis, ſecundus de judiciis civilibus, tertius de rebus Eccleſiaſticis, Clericos & Laicos tangentibus, quartus de matrimonio, quintus & ultimus de criminibus & judiciis criminalibus agit. Quinque hi libri quinque verbis ſubſequentis verſus comprehenſi ſunt

Judex, Judicium, Clerus, Connubia, Crimen.

Bonifacius VIII. collectioni huic ſextum librum adſuit, quem ex hac ratione Sextum vocant, comptehendit decretalia à Gregorio IX. ad Bonifacium usque VIII. edita, nec non duorum Conciliorum generalium Lugdonenſis 1245. ſub Innocentio IV. & alterius 1274. ſub Gregorio X. habiti conſtitutiones. Sextus quoque liber in quinque libros eſt diviſus, ſicut collectio Gregorii IX. & ſubſequentium Paparum.

Cle-

Clementinæ constitutiones concilii generalis Vienensis sub Clemente V. habiti ut & decretalia Papæ hujus, qui collectioni huic nomen Clementinarum imposuit, complectitur. Johannes XXII. collectionem hanc publicavit, confirmavitque, & inde novam ex propriis suis decretalibus confecit, quam *Extravagantes* appellant, quia Corpori Juris, quod antea in usu erat, adjectæ sunt. Extravagantibus his Johannis XXII. singulatim nonnulli hujus Papæ decretalia junxerunt, quæ nec in suâ, nec in Successorum suorum collectionibus extabat, ut ergo à Johannis XXII. collectionibus distinguerentur, *Extravagantes communes* sunt nominatæ.

Quantumcunque vero Corpus Juris usum obtineat, nihilotamen minus credendum non est, quasi legis vim in omnibus Ecclesiis habeat. Decretum Gratiani, etsi majorem sibi auctoritatem comparaverit, tamen nunquam pro lege publica receptum fuit, multo minus quinque decretalium libri honorem hunc vindicare sibi poterunt. Liber sextus, Clementinæ & Extravagantes omni prorsus in Gallia auctoritate destituuntur. Omnes denique Juris Canonici leges semper ad jus commune, ad particulares Ecclesiarum usus & consuetudines & ad mandata Regum, qui eas vel limitant, vel iis derogant, sunt referendæ. Græci, qui neque decretalia Paparum, neque leges canonicas in Occidente cusas unquam receperunt, vetus jus in codice canonum Ecclesiæ universalis

comprehensum retinuerunt, canonibus istis junxerunt canones Episcoporum Orientalium, qui literas canonicas scripserunt e. g. Gregorius Neocæsareensis seu Thavmaturgus, Dionysius Alexandrinus, Petrus Alexandrinus S. Basilius, S. Gregorius Nyss. nec non Justiniani aliorumque Orientalium Imperatorum leges atque constitutiones; hunc in modum Photii Nomolanon, aliæque Canonistarum collectiones, quos inter Balsamonis & Zonaræ collectiones à Græcis celebriore præ reliquis fama feruntur.

Qui proinde seriam in Juris Canonici studio collocare operam gestiunt, ante omnia veteri Juri tam Orientali, quam Occidentali indefessi incumbant, legendo codices veteris Ecclesiæ universalis, Ecclesiæ Africanæ atque Romanæ, Dionysii Exigui, Ferrandi atque Cresconii compendia, assumtis nonnullis melioris notæ commentariis, e. g. Justelli in Codices Ecclesiæ universalis, Ecclesiæ Africanæ; Addantur articuli Codicis Theodosiani materias juris Canonici concernentes, cum notis eruditis ac locupletibus Jacobi Godofredi, Justiniani Novellas, quatenus disciplinæ Ecclesiasticæ capita absolvunt. Post hæc, lectis Regum Galliæ capitularibus, canonum collectiones inspiciendæ sunt e. g. collectiones Photii Zonaræ & Balsamonis ad cognoscendum Ecclesiæ Græcæ jus canonicum; Martini vero Braccarensis, Burchardi Reginonis & Yvonis collectiones, quod Occidentem attinet. Deinceps lectio est Gratiani decreto insumenda, illudque

Iudque una cum obſervationibus Antonii Auguſtini atque Gloſſis cognoſcendum eſt, inſpecto ſimul bono aliquo probo auctore, qui omnia iſta, quæ ad Jus Canonicum pertinent, uno ſaſce complectitur, ex quibus nullum melius, neque conſumatius, quam illud Van-Eſpenii opus extat: porro varii de peculiaribus materiis tractatus legendi ſunt, e. g. libri de libertate Eccleſiæ Gallicanæ, cum teſtimoniis probationum, nec non illi, qui in diverſa argumenta commentati ſunt e. g. de Beneficiis Eccleſiaſticis, de Uſura, Simonia, Poteſtate Eccleſiaſticâ & temporali &c. Imperatorum leges, Regumque Galliæ de diſciplina Eccleſiaſtica conſtitut. Conſuli denique nonnulli Canoniſtæ poterunt e. g. Martinus Azpilcueta, Navarrus, Cabaſſutius, aliique, ſed deciſionibus eorum non inhærendum, ſed ſemper ad commune jus & ad conſtitutiones Regum Galliæ recurrendum eſt. Concilium Tridentinum Jus Canonicum utique prorſus confirmaſſet, ſi conſtitutiones ejus circa diſciplinam ab omnibus Eccleſiis reciperentur; ſed nullam illæ in Gallia legis vim habent, quia in iſto regno concilium hoc non receptum fuit, niſi quatenus leges ejus communi juri atque Regni conſuetudinibus ſunt conſormes; legendus hac de re catalogus articulorum Concilii à Gallis rejectorum, libro de Legatis atque Cardinalibus annexus, itemque Racicoti notæ in Concilium Tridentinum, & articulus de receptione Concilii Tridentini, quem in fine Hiſtoriæ hujus Concilii in du Pinii Bibliotheca Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ offendes.

Quod Sanctionem pragmaticam atque Concordatum attinet, (sic Galli Regum suorum cum Romanis Pontificibus circa bona Ecclesiastica duo pacta inita vocant) textus atque ad eum notæ Guimieri accurate legendi sunt, reliquis vastis commentariis, à pluribus hanc in rem editis, volante saltem oculo perlustratis: denique circa disciplinam Ecclesiasticam in Gallia usitatam Bosqueti decreta Ecclesiæ Gallicanæ, atque Bibliothecam canonicam consulas, sed ita, ne semper allegationibus atque decisionibus eorum fidem habeas.

Epilogus.

SAtis jam conatui atque fini nostro in opere hoc nobis proposito fecisse videmur, postquam studii Theologici sciagraphiam, methodum in ea tenendam, modumque literis incumbendi ostendimus: dedimus operam, ut studia ad Theologiæ cultorum genium, intentionem, officia atque scopum accommodaremus: libros, quos evolvere, modum, quem in studiis tenere, syrtes, quas evitare, principia atque axiomata, quæ observare debeant: item quinam habitus ac dispositionis modus hic requiratur, & qua ratione illi studia eum in statum possint dirigere, quo Ecclesiæ & communi Patriæ aliquando inservire rite valeant. In his quæ diximus omnibus, sedulo nobis cavimus, ne in ullius privati partes & sententias iremus, ne sigillatim cujusque ad gratiam scriberemus: nec præoccu-

patio,

patio, nec privatum commodum, nec affectus, nec φιλαυτία, nec opiniones, quibus addicti sumus ad quidquam nos impulere, quod lectori, quisquis ille fuerit, fraudi ac detrimento esse possit: illibatam Theologiæ studiosis sententiarum libertatem relinquimus, ut quas veritati atque æquitati maxime conformes arbitrentur, suas faciant: minimeque ea nobis mens est, ut vel ullum hominem methodo nostræ vel regulis à nobis datis adstringamus: nolumus aliter hos hæc hic considerari, quam Hermeticam statuam, viam commonstrantem, situm est in cujusvis potestate, quam lubeat, viam inire, si ille forte fortuna in hodogetam nobis probatiorem inciderit, lubenter concedimus, ut doctrinas ejus amplectatur. Multi procul dubio in hoc opere aliqua deprehendent, quibus contradicant; quidam ob male intellecta verba nostra, alii quia parum commodi à nostra methodo haurient, aut quia inutilem eam ducent, satis eruditos se, illâque non indigere putantes. Nos ipsis cum S. Augustino paucis respondemus; & quidem primis, quod defectum proprii sui ingenii imputare nobis nefas sit; secundis, qui methodum nostram sibi minus opportunam dictitant, reponimus, nos minime id agere, ut methodi nostræ praxin invitis illis obtrudamus; & tertiis, scientiam suam regulas nostras longè superare jactitantibus nos haud in eorum gratiam scripsisse dicimus, & quantocunque demum ingenio atque scientia ipsi præditi sint, usus tamen aliquid à nostris fortè

percipere poſſe. Iisdem cum S. Auguſtini verbis, quibus ille librum ſuum de doctrina chriſtiana finit, meo quoque libro finem imponam: *Ego tamen DEO noſtro gratias ago, quod in his libris non qualis eſſem, cui multa deſunt, ſed qulis eſſe debeat, cui in doctrina ſana i. e. chriſtiana, non ſolum ſibi, ſed etiam aliis laborare ſtudet,*
quantulacunque potuit facultate,
diſſerui.

FINIS.

INDEX

INDEX
Quæstionum Principalium,

Quæ

In cursu Theologico examinandæ atque discutiendæ veniunt: adduntur præcipui Auctorum libri, in quocunque argumento legendi.

De Veritate Religionis Christianæ.

Veritas Religionis Christianæ probata.

Id agunt:

GRotius de veritate Relig. Christianæ.
Huetius in Demonstratione Evangelica.
Paschalis in Cogitationibus; (Pensees.)

Eadem è Prophetis probata.

Vid. in Huetii Demon. Evangel. P. Calmeti dissertationes de characteribus Messiæ libro prophetiarum Jeremiæ præfixæ.

In specie è vaticinio Jacobi Patriarchæ,
E quo natæ plures difficultates.

Vid. Huetii Demon. Ev. P. Petavii Doctrina temporum; idem de Incarnatione. P. Calmet dissertationes de hâc Prophetia Genesi præmissæ.

E septuaginta Danielis hebdomadibus.

Quæstio hæc ex Chronologia illustrari debet. vid. Huetii Demon. Ev. P. Petavii Doctrina tempor. Chronologia Bibliis apud Vitreum editis inserta. P. Calmeti dissertatio Danieli præmissa.

Ex Historia & miraculis JEsu Christi.

Vid. Abbadie Veritas Religionis Christianæ Jaqueloti de existentia DEI, Paschalis Cogitationes.

Per rationes ex historiâ profana petitas.

Vid. Jaqueloti de Existentia DEI, Bossueti Historia Universalis.

Per Eversionem Atheismi.

Vid. Cartesii Meditationes. P. Lami Atheismus Eversus. Jacqueloti Existentia DEI. it. de eodem Fr. Salignac de la Mothe-Fenelon, Archiep. Cameracensis.

De Judaismo post JEsum Christum natum.

Vid. Huetius, Paschalis cogitationes. Raimundi Martini Pugio fidei. Spanhemius de causa incredulitatis Judæorum. Jo. Hornbeckius de Convincendis & convertendis Judæis.

De Paganismo.

Vid. veteres christianæ religionis apologetæ S. Justinianus, Athenagoras, Tatianus, Tertullianus, Minutius, Felix, Origenes contra Celsum. S. Augustinus de Civitate DEI. Deinde Vossius de Idololatria. Calmeti dissertatio de origine Idololatriæ Sapientiæ libro præfixa.

De Mahumedanismo.

Vid. Grotius de Veritate Religionis Christianæ. Forbesii Instructionum Historico-Theologicarum liber 4. de Mahumedanismo Jo. Hornbeckius

&

& Adrianus Relandus contra Mahometanos.

De Spinozismo.

Vid. Archiepiſcopus Cameracenſis, & P. Lami Refutatio ſyſtematis Spinoſæ.

De ſanctitate doctrinæ moralis Religionis Chriſtianæ, in nullâ aliâ religione obviâ.

Vid. Paſchalis Cogitationes, Commentarius (Memoires) Epiſcopi Tornacenſis.

De Origine & Progreſſu Evangelii in terrarum orbe absque violentis mediis, ſapientum atque populi viribus fruſtrâ oppoſitis.

Vid. Huetii Demon. Evang. Paſchalis cogitationes P. Lamy Incredulus ad Religionem perductus.

De miraculis ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus factis. Vid. idem. It. *de conſtantia* Martyrum, aliisque virtutum heroicarum chriſtianos inter exemplis. Vid. idem.

De Principio Theologiæ in genere.

Per Revelationem divinam, quæ principium eſt, cui certitudo & veritas Religionis innititur. Quod revelatio hæc falſa eſſe nequeat, cum DEus nec fallere nec falli poſſit.

Media cognoſcendi Revelationes, quas DEus hominibus patefecit, quo tempore, per quem, & quibus modis.

Duæ revelationes.

Prima Veteris Teſtamenti per Moſen & Prophetas variis modis factæ.

Secunda per JEſum Chriſtum DEI Filium, qui Apoſtolos ſuos omnes veritates, quas DEus hominibus revelare voluit, edocuit.

Prædi-

Prædicatio Apoſtolorum ad tradendam JEſu Chriſti doctrinam in orbem miſſorum.

Doctrina eorum in Eccleſia duobus mediis conſervata.

Per ſcripta eorum.

Per Traditionem Eccleſiarum ſtabilita, per fidem Eccleſiæ conſtantem omnibus temporibus, & omnibus locis; deciſionibus Conciliorum atque unanimi Patrum conſenſu in Eccleſiis fundatam.

Per doctrinam Eccleſiæ univerſalis, quæ in capitibus ad ſalutem neceſſariis infallibilis eſt, & deficere non poteſt.

Præjudicia legitima opinionum Theologicarum ſunt, Unanimis Patrum & Theologorum Scholaſticorum conſenſus.

Facultatum Theologicarum, atque Academiarum deciſiones.

Canoniſtarum communia placita.

Subſidia ſtudii Theologici; Scientia Linguarum, Dialectica, Eloquentia, Philoſophorum auctoritas, Hiſtoria.

Vid. de omnibus his quæſtionibus Melchior Canus in locis Theologicis. Franciſci Davenportii *Syſtema fidei*, Holdenii *Analyſis fidei*, Lud. El. du Pinius de Doctrina Chriſtiana & Orthodoxa.

In loco de Scriptura Sacra.

Quæſtiones generales

De omnibus ſubſequentibus quæſtionibus.

Vid. Ariæ Montani, Serrarii, Bonfrerii & Waltoni Prolegomena. Sixti Senenſis Bibliotheca ſacra.

Ligt-

Ligtfooti opera. Rich. Simonis Historia Critica Veteris & Novi Testamenti. Bernard. Lami Apparatus & introductio in Sacram Scripturam Lud. El. du Pin. Dissertationes præliminares in Biblia. Præfatio in Biblia Vitrei & Calmeti in Libros sacros præfamina.

De inspiratione Sacræ Scripturæ, an auctores fuerint inspirati, quæque inspirationis fuerit ratio?

Vid. Lovaniensium & Duacensium Theologorum editæ hac de quæstione contra Lessium Jesuitam Censuræ. Lessii Responsio. Defensio Censurarum. Ant. Arnaldi Difficultates Steyaerto propositæ. Liber Jo. Clerici, quem sub titulo Judicii (Sentiments) Theologorum Batavorum de Historia Critica Simonis edidit. Simonis ad judicia eorum responsio. Clerici defensio suorum judiciorum. Altera Simonis ad hanc defensionem responsio. du Pinius materiam hanc in suis dissertationibus in Biblia prolixe pertractavit.

De auctoritate Sacræ Scripturæ.

De canone librorum Sacrorum Veteris & Novi Testamenti.

De distinctione librorum Proto-Canonicorum & deutero-Canonicorum.

Vid. etiam de his quæstionibus Polemici.

De auctoribus librorum Veteris & Novi Testamenti, quibus linguis scripti fuerint?

Quibus characteribus, an Samaritanis an Hebraicis?

Vid. de hac quæstione Waltoni Prolegomena. Rich. Simonis Historia Critica V. T. atque Epistolæ

Criticæ

De

De versione vulgata hodierna.

Quem auctorem habeat?

Quo sensu sit avthentica?

Num originali textui aliisque versionibus anteponenda?

De aliis hodiernorum Bibliorum versionibus latinis.

Vid. de Vulgata, Pallavicini Historia Concilii Tridentini. De veteri vulgata Flaminius Nobilius in præfat. ad suam editionem. Martianæus ad Hieronymum.

Libri contra Maimburgium & Malletum scripti. Sixtinus Amama.

De Sacræ Scripturæ versionibus orientalibus, earumque auctoritate.

De paraphrasibus Chaldaicis. De versionibus syriacis, Arabicis, Æthiopicis, Armenis, Persicis.

De versionibus Bibliorum in quarumvis Nationum linguis vulgaribus.

Catholicorum. Protestantium.

Vid. de omnibus his articulis præter auctores allegatos, Jacobi le Longii Bibliotbeca Sacra.

De lectione Sacræ Scripturæ.

Num Sacræ Scripturæ libri, ut ab omnibus fidelibus legantur, exarati?

De usu quem christiani ex Sacræ Scripturæ lectione haurire possint.

Num illa absque superiorum suorum permissu laicis vetita?

Num interdictio hæc si verè facta fuit, pro ratâ haberi possit?

De naturâ & affectionibus, quibus Sacræ Scripturæ lector præditus esse debet.

Vid. de his quæstionibus Lizeti contra Sacræ Scripturæ lectionem Collectio variorum opp. Episcopi Castoriensis de Sacræ Scripturæ lectione lib. Malletus de eadem materia. Liber de lectione Sacræ Scripturæ contra Malletum. Defensio versionum. Du Pinius in Prolegomenis prolixe & curate in hanc materiam inquisivit.

De Scripturæ Sacræ eloquentia.

Boileau Despreaux quæstionem hanc paucis attigit in sua de sublimitate ad Longinum præfatione

Vid. du Pinius prolixius eam in dissert. sua præliminari pertractavit.

De Poësi atque Musica Hebræorum.

Vid. Martianæi dissert. Hieronymi opp. præfixa. it. Clerici & P. Calmeti dissertationes in Psalmos atque Exodum.

De perspicuitate & obscuritate Sacræ Scripturæ.

De variis Sacræ Scripturæ sensibus.

De auctoritate & utilitate eorum.

De diversis Sacram Scripturam explicandi modis.

De Judæorum, Christianorumque in Scripturam Sacram commentariis.

Vid. auctores ab initio hujus articuli nominati.

Num antiqui legislatores & philosophi moralia atque aximota sua ex Sacra Scriptura depromserint?

Vid. P. Calmeti dissertatio Proverbiorum libro præmissa.

De divisione Bibliorum in versus atque capita.
Vid. Eutalii liber à Laurentio Zaccagnio editus, auctores ab initio hujus articuli allegati, imprimis Du Pinius.

De libris apocryphis Veteris & Novi Testamenti.
Præter ea, quæ Sixtus Senensis in Bibliotheca Sacra, aliique auctores in Prolegomenis suis in Sacram Scripturam supra allegati habent, nihil addi potest.

De Chronologia Historiæ Sacræ.
Vid. Usserii Annales, Jacobi, it. Ludovici Capellorum Chronologia Sacra. Gerhardi Jo. Vossii Chronologia, Petavii doctrina temporum, Marshami Canon Chronicus. Bibliorum Vitrei Chronologia.

Num chronologia Textus Hebraici chronologiæ Samaritanæ & Septuaginta virali præferri debeat?
Vid. Is. Vossii & Pezeronii opera pro defensione & justificatione Chronologiæ Septuaginta viralis, Vossii & Pezeronii responsiones adversus textus Hebraici defensores.

Quot anni à creatione mundi ad nativitatem JEsu Christi elapsi sint.

Diversæ quæstiones particulares Chronologicæ 1°. à creatione mundi ad diluvium usque. 2°. à diluvio ad vocationem Abrahami. 3°. à vocatione Abrahami ad exitum ex Ægypto. 4°. ab exitu ex Ægypto ad constructionem templi. 5°. à constructione templi ad captivitatem Babylonicam. 6°. à libertate templum atque urbem Hierosolymam extruendi per Cyrum concessa usque ad nativitatem JEsu Christi. 7°. de Epocha nati-

vitatis JEſu Chriſti. 8°. de duratione Prædicationis atque tempore mortis ejus.

Vid. auctores ſupra nominatos, & infra allegandos.

De Geographia Hiſtoriæ Sacræ.

Vid. S. Hieronymus de locis Hebraicis cum notis Bonfrerii atque P. Martianæi, Adrichomii Theatrum Terræ Sanctæ. Bocharti Phaleg & Chanaan. Samſonis & Lubini notæ in Vitrei Biblia. P. Calmeti obſervationes de Terra promiſſa commentario ſuo in Joſuam præmiſſæ ejusque diſſertatio de habitationibus veterum Hebræorum, libro Judicum præfixa.

Diviſio populorum poſt diluvium. Abrahami, Iſaaci & Jacobi itinera. Terræ Chanaanis tunc temporis, quo Abrahamus, Iſaacus & Jacobus eam inhabitarunt, conditio. Ambitus & promiſſæ terræ diviſio inter decem tribus, poſt exitum eorum ex Ægypto. De ſtatu duorum regnorum Judaici atque Iſraëlitici poſt eorum diviſionem. Diviſio Judææ poſt Judæorum ex captivitate Babylonica reditum.

Vid. de ultimo hoc articulo P. Calmeti diſſert. ab initio Commentarii ſui in duodecim Prophetas minores.

Judeæ ſtatus eo tempore, quo Regibus Aſmonæis & Romanis ſubjecta fuit.

Vid. De hoc articulo continuatio hiſtoriæ Judaicæ, & de omnibus reliquis diſputat. auctores

ctores ab articuli initio allegati. De terrâ in quam decem Tribus abducti fuerunt.

Vid. continuatio Historiæ Judaicæ, & P. Calmeti dissertatio in fronte Paralipomenon.

Leges & regimen civile Israeliticum atque Judaicum.

Sub Patriarchis, Mose, Josua & post eum sub Judicibus Regibus Israeliticis & Judaicis ante captivitatem.

Vid. Sigonius, Menochius, Cunæus, Bertramus *de Rep. Hebræorum* Schikardus *de jure regio Ebræorum.* Lightfooti *Moses & Aaron.* Fleurius de moribus Israëlitarum. Mosaicarum atque Romanarum Legum Collatio, edita per Pet. Pithœum. Dissertatio P. Calmet de Politica modoque administrandi justitiam apud Judæos.

Sub Maccabæis atque *Regibus Asmoneor.*

Vid. continuatio Historiæ Josephi & P. Calmet de ordine & successione Pontificum.

De tribunalibus atque Magistratibus Judaicis.

Vid. auctores de Republica Ebr. citati, atque dissertationes P. Calmeti de ministris aulicis, exercitibus atque militiâ Judaicâ.

De legibus Matrimonialibus.

Vid. Seldeni *Uxor Ebraica.* P. Calmeti dissertatio de divortio, præfixa initio Devteronomii, deque matrimonio Ebræorum ab initio Cantici Canticorum.

De juribus & privilegiis Asylorum.

Vid. Georgius Ritterhusius de jure Asylorum.

De cerimoniis Judæorum in rebus ad religionem spectantibus.

Vid. continuatio Historiæ Judaicæ. it. Seldenus de Anno Civili Judaico.

De Idololatria, Israëlitarum in deserto.

Vid. P. Calmeti dissertatio ab initio Prophet. minorum.

De diis Syris & Phœnicibus, quorum in Sacro Codice fit mentio.

Vid. Seldenus de Diis Syris. P. Calmeti dissert. de Beelsegore, Thammuzo de diis Philistæorum, deque veteribus Phœnicum idolis.

De animalibus in Sacra Scriptura nominatis.

Vid. Bocharti Hierozoicon.

De Plantis.

Vid. Ligthfootus, Seldenus, Lami.

De habitu & vestitu Hebræorum.

Vid. Calmeti dissert. Jeremiæ præmissa.

De pretiosis Hebræorum lapidibus.

Vid. S. Epiphanii lib. de duodecim lapidibus, in Aaronis pectorali extantibus, & Commentarii.

De calceamentis Hebræorum.

Vid. Bynæus de calceis Hebræorum.

De morbis, quorum Sacra Scriptura meminit.

Vid. Aderus de Morbis.

De medicina atque cibo Hebræorum.

Vid. P. Calmeti dissert. ab initio libri Ecclesiastici.

De sectis Judæorum.

Vid. Serarii trihæresium. Scaliger & Drusius de Sectis Hebræorum contra Serarium. P. Calmeti dissertatio de Rechabitis & continuatio Historiæ Judaicæ.

De scholis Judæorum.

Vid. P. Calmeti dissertat. comment. in Jeremiam præmissa.

De funeralibus eorum atque sepulturis.

Vid. P. Calmeti dissert. ab initio Ecclesiastici.

De systemate mundi, quod tenebant.

Vid. id. Calmet. l. c.

De omnibus quæstionibus, quæ de cerimoniis, moribus atque consuetudinibus Judæorum formari possunt, vid. auct. supra citati, & Continuatio Historiæ Judaicæ.

Quæstiones Particulares.

In diversa Sacræ Scripturæ loca.

Vid. Estius in loca difficiliora Sacræ Scripturæ. Ligthfooti Opera. Variæ variorum virorum doctissimorum Dissertationes & opuscula postremis duobus Operis Critici Anglicani tomis inserta. P. Calmeti dissert. Conferantur quoque commentatores inprimis ii, qui in Bibliis magnis & Criticis Anglicanis extant, nec non P. Calmeti commentarius.

In Genesin.

Vid. de omnibus in Genesin quæstionibus Pererius, Bonfrerius. P. Calmeti comment. du Pinii dissertationes in Gen. 1711. impressæ.

De Creatione mundi.

Argumenta, quod mundus non sit æternus, sed in tempore creatus.

Num mundus uno momento, vel intra sex dierum spatium sit conditus?

Pecu-

Peculiaris operis ſex dierum explicatio.

De ſitu Paradiſi terreſtris.

Vid. Bocharti, Huetii & Morini lib. de ſitu Paradiſi terreſtris.

De arbore vitæ, deque arbore ſcientiæ boni vel mali, quæ in Paradiſo terreſtri fuerat.

De creatione hominis & fœminæ. Quo ſenſu homo ad imaginem DEI conditus fuerit.

Vid. Jo. Wimeri diſſertatio.

Num homines ante Adamum fuerint?

Vid. Iſaaci Peirerii lib. de Præ-Adamitis, & qui ſe illi oppoſuerunt.

De ſtatu hominis ante peccatum.

Vid. Henr. Urſinus, Bardolomæus Codelbachius, Georgius Stramerus, Abrahamus Calovius.

De ſerpente ſeductore, qualis ſerpens fuerit?

Vid. Pauli Riſti Monomachia hominis & ſerpentis, Tilemani Andr. Rivini Serpens ſeductor, Chriſtoph. Helvici Matris Evæ deſiderium.

De peccato Adami atque Evæ.

Quomodo Adam vocem DEI audiverit, exque Paradiſo ejectus fuerit?

Quid per Cherubinos & gladium ſuper portâ Paradiſi terreſtris vibratum intelligatur?

De Sacrificio Abelis & Caini.

De longæva Patriarcharum ætate, numque vitæ eorum anni ac noſtri tam longè perduraverint, vel menſtrui modo anni fuerint?

Vid. Petavius & Chronologi.

De Chronologia à creatione mundi ad diluvium.

De

De præterlapso tempore à vocatione Abrahami usque ad legem Mosis in monte Sinai traditam.
Vid. Chronologi.

De itineribus Abrahami in promissam terram & Ægyptum.

De separatione à Lotho nepote suo.

De origine nominis Hebræi Abrahamo impositi.
Vid. Waltoni Prolegomena.

Quis *Melchisedech* Sacerdos Altissimi, Abrahamo benedicens fuerit?

De nativitate Isaaci & Ismaëlis.

De institutione Circumcisionis.
V. dissert. P. Calmeti ante initium Genesεως.

De tribus juvenibus ab Abrahamo hospitio exceptis, num tres angeli, vel Messias increatus angelus unus ex illis fuerit?

De incendio Sodomæ & Gomorræ.

De mutatione uxoris Lothi in statuam salis.
Vid. Dav. Constantii & Jo. Sauberti dissertationes.

De divino ad Abrahamum mandato, ut filium suum Isaacum immolaret.

De modo atque loco illius oblationis.

De matrimonio Isaaci cum Rebecca.

De morte Abrahami.

De nativitate Jacobi & Esavi.

De Esavi venditione primogenituræ suæ.

De benedictione Isaaci, quam Jacobus Esavo fraudulenter surripuit.

Num Jacobus hac in re mentitus sit, aut peccaverit?

De Scala, quam Jacobus per ſomnium in monte Moria vidit.

De matrimoniis Jacobi cum Rachele & Lea.

De infantibus Jacobi.

De mediis, quibus Jacobus apud Labanum divitias ſibi comparavit.

De Labani idolis à Rachele clam ablatis.

De luctâ Jacobi cum Angelo.

Vid. diſputatio Abrahami Calovii de lucta Jacobi, it. de eodem argumento Ægid. Strauchius & Sibelius.

De vitâ Joſephi.

De matrimonio Judæ cum Thamare.

De ſomniis Pharaonis.

De modo, quo fratres ſuos Joſephus excepit.

De itinere Jacobi ejusque liberorum in Ægyptum.

De morte Jacobi, deque benedictionibus Propheticis, quas liberis ſuis impertivit.

Vid. Helvicus de Prophetiâ Jacobi. Explicatio Prophetiæ Jacobi. Idem. Ad. Oſiandri poſtrema Jacobi oracula. Gabr. à Coſta commentarii, Pererius de Prophetiis Jacobi. Theologi, qui de Prophetia adventus JEſu Chriſti ſcripſerunt, imprimis Petavius & Huetius.

In Exodum, Numeros, Leviticum, & Deuteronomium.

Quomodo locus Exodi I. v. 5. cum Act. VII. v. 14. concordet?

Vid. Commentatores.

De prodigioſa Iſraëlitarum in Ægypto per ducentos annos *multiplicatione.*

Vid.

Vid. Bonfrerius & P. Calmetus.

Quis novus iste Rex Israëlitas affligens fuerit?

Vid. Bonfrerius P. Calmetus & du Pinius in Bibliotheca Historicorum profanorum.

De facto obstetricum, Israëlitarum infantes servantium, num excusari possit, & quodnam earum præmium fuerit?

Vid. auctores Theologiæ moralis de mendacio agentes. Et commentatores in hunc locum, Estius in loca difficiliora. Bonfrerius in Exodum.

Unde Moysis nominis origo.

Num illa, quam Josephus Historiæ Mosis in Exodo relatæ addit, veritati sint consentanea?

Vid. Marshami Canon Ægyptiacus. Sec. IX. Bonfrerius in Exodum.

De Jethro Mosis socero, de variis loci, habitationis atque sacerdotii ejus nominibus.

Vid. Commentatores.

De rubo ardenti à Moyse viso.

Vid. Francisci Moncæi & Davidis Constantii dissertationes.

De nomine DEI Mosi manifestato Ex. III. & VIII.

Vid. Paulus Burgensis de nomine tetragrammato. Puteanus de nomine Elohim, deque Tetragrammato. Cappelli de nominibus Elohim & Jehova diatriba. Et commentatores in 13. Exodi caput.

De virga seu baculo Mosis num reverâ, vel apparenter tantum in serpentem immutatus fuerit?

De miraculis à præstigiatoribus Pharaonis perpetratis.

Vid.

De vitulo aureo.

Vid. Franc. Moncæi diss. cui titulus est Aaron purgatus. Usserii refutatio Aaronis purgati, Georg. Mœbii de Moscholatria populi Israëlitici, Josephus Hallus de vitulo aureo.

De legibus ecclesiasticis & politicis, Hebræis à Mose latis.

Vid. auctores in de Politiâ judaicâ allegati.

De Tabernaculo ejusque ornamentis, atque Sacerdotum vestimentis.

Vid. supra.

De arcâ fœderis, ejusque contentis.

Vid. Andreæ Sennerti & Buxtorfii Exercitationes.

De Urim & Thumim.

Vid. Willerius, Vicejus, Buxtorfius atque Spencerus.

In Leviticum & Numeros.

De Sacrificiis, legibusque Sacerdotum & Levitarum, festorumque cerimoniis.

Vid. supra.

De lepra.

Vid. P. Calmeti differt. ab initio Levitici, de natura causis & effectibus lepræ.

De Diis Ammoniticis & Syriacis.

Vid. Seldenus de diis Syris. P. Calmeti duæ dissertationes, quarum una de Idolo Molochi ab initio Levitici, altera de Baalphegore & Thammuzo ab initio Deuteron.

De lege Zelotypiæ, & amaris aquis.

ad probandam fœminam marito suo adulterii suspectam. Vid.

Vid. Guil. Saldenus & Andr. Acoluthus de aquis amaris. Seldeni Uxor Hebraica. Cunæus de Rep. Ebræorum.

De Nazarænis.

Vid. illi, qui de sectis Judæorum scripserunt & Josephi historia continuata.

De serpente æneo.

Georg. Moebii Exercitationes sacræ. Jo. Saubertus. Buxtorfii Exercitationes. Dav. Constantii dissertatio.

De Balaamo, ejusque Prophetia.

Vid. Georg. Moebius.

De morte & sepultura Mosis.

Vid. Jo. Gerhardus & Joh. Frischmuthus. Jo. Ectii disputatio de certamine diaboli & S. Michaelis ob corpus Mosis.

Consulas quoque de his & reliquis quæstionibus, quæ in Pentatevchum moveri possunt, Bonfrerium, Osiandrum, commentatores in magnis Bibliis, criticis magnis & Criticorum Synopsi extantes. Estium in loca difficiliora. Ligthfooti Opera. du Pinii notas in Pentatevch. P. Calmeti commentarios, in quibus omnes quæstiones incidentes prolixe ventilatæ, solideque explicatæ sunt.

In librum Josuæ.

De Josuæ ad solem, cursum ut inhibeat, mandato, & subsequenti effectu.

Vid. P. Calmeti prima in Josuam dissertatio.

De divisione terræ Canaan. De finibus atque limitibus cujusvis tribus.

Vid.

Vid. Adrichomii Theatrum Terræ Sanctæ. Samsonis & P. de la Ruë Tabulæ. commentat. in Librum Josuæ, imprimis Arias Montanus, Serrarius, Bonfrerius, & præ ceteris Andreas Masius.

In librum Judicum.

De voto Jephtæ. Ludovic. Cappelli diatriba de voto Jephtæ, & P. Calmeti dissertatio.

De successione & annis Judicum, de tempore anarchiæ & captivitatis & durationis eorum regiminis in genere.

Vid. Usserius, Marshamus, Chronologia in Bibliis Vitrei. P. Petavius in de doctrinâ temporum, aliique Chronologi.

In libros Regum atque Paralipomένων.

De chronologica librorum Regum cum Paralipomenis harmonia.

Vid. iidem ante allegati auctores, nec non concordantia latina librorum Regum cum Paralip. Parisiis impressa.

De apparitione Samuelis Saulo facta. Num Saga Samuelis animam reverâ evocaverit, vel fucum tantum Saulo fecerit?

Vid. Comment. Origenis in Cap. 28. Libri I. Reg. Eustachii Archiepiscopi Antiocheni dissert. ab Allatio cum ipsius quoque tractatu de Engastrimytho edita. P. Calmeti dissert. ab initio libri Regum.

De Diis Philistæis.

Vid. Seldenus de Diis Syris. P. Calmeti dissert. ab initio librorum Regum.

De

De beatitudine Salomonis.
Vid. Philippus Harwingius. Lud. Vivaldus & Franc. Fewardentius. Jo. Cufinus & Dalechampius.

De terra Ophyritica. ubi fitus illius fuerit?
Vid. Cafp. Varrerii liber. Lipenius. Huetius & P. Calmetus.

De precibus Naamani ad Elifæum, ut genuflexionem coram idolo Rimmon. ipfi permitteret,
Vid. Bocharti in hunc locum, & Calmeti differtationes.

De retrogreffu horologii, Regis Ezechiæ precibus, facto.
Vid. P. Calmeti differt. quæque de horis Judaicis in continuata Jofephi Hiftoria dicta funt.
Vid. etiam de his & multis aliis quæftion. quæ ex libris Regum & Paralip. in medium proferri folent, Serarii & Bonfrerii commentarii.

In duos Esdræ libros.

Nullas alias hîc quæftiones particulares offendes, quam quas Commentatores & Chronologi enodatas exhibent.

In librum Tobiæ.

Conf. commentatores in veritatem & circumftantias Tobiæ hiftoriæ inquirentes.

De diabolo Asmodæo in Tobiæ libro obvio vid. P. Calmeti differt.

In librum Judith.

De veritate, atque tempore Hiftoriæ hujus.
Vid. Bernh. Montfauconii lib. & P. Calmeti differtatio ab initio lib. Jud.

In

In librum Estheræ.

De tempore & veritate Historiæ Estheræ.

Vid. Commentat. hujus libri & P. Calmeti dissert. huic libro præfixa.

In librum Jobi.

De veritate, deque circumstantiis historiæ Jobi.

Vid. Comment. & auctores supra de Sacra Scriptura allegati.

De morbo Jobi.

Vid. Calmeti dissert. ab initio hujus libri.

De reliquis difficultatibus.

Vid. Marceri & Phil. Codurci commentarii.

In Psalmos.

De auctoribus Psalmorum.

Vid. Commentat. præ reliquis Muisius quique in suis prolegomenis de reliquis Scripturæ Sacræ libris supra tractarunt.

Diversæ quæstiones & observationes generales in Psalmorum librum, in eorum divisionem, numerum, personas &c.

Vid. Præter commentatores, du Pinii & P. Calmeti in Psalmos præfationes.

De reliquis in Psalmos quæstionibus particularibus.

Vid. Commentarii Bellarmini, Genebrardi, Jansenii Gandavensis, præcipue Simeon de Muis cum novis Bossueti Episcopi Meldensis, item du Pinii & Calmeti commentariis.

In Libros Sapientiæ.

Quos libros, quòque tempore, Salomo composuerit.

Vid. Prolegomena in Biblia supra citat. & P. Calmeti dissertatio.

De sensu libri Cantici Canticorum.

In Prophetas.

De Nabuchodonoſoris metamorphoſi.

Vid. præter commentat. P. Calmeti diſſ. ab initio Prophetiæ Danielis.

De ceto Jonam deglutiente.

Vid. Bocharti Hierozoicon, Commentat. & Calmeti diſſertat. ab initio duodecim Prophetarum minorum.

In libros Macchabæorum.

De auctoribus horum librorum.

Vid. Prolegomena & Præfat. ad hos libros.

De harmoniâ Hiſtoriæ & Chronologiæ duorum horum librorum.

Vid. Uſſerius, Vitrei Chronologia Biblica, P. Calmeti præfatio in lib. Macc.

In Novum Teſtamentum.

In Evangeliſtas.

De quatuor Evangeliſtarum harmonia.

Vid. Concordiæ Evangeliorum, & inprimis concordia Janſenii Gandavenſis, Arnaldi, P. Lanii & Toinardi.

De nativitatis JEſu Chriſti tempore.

Vid. Petavii in Opera de Doctrina Temporum lib. VI. & obſervat. in S. Epiphanium. Uſſeſerius, Vitrei Biblia, Noriſius, P. Pagi Diſſertatio Hypatica. Tillemontii notæ in I. Commentatorum ſuorum Hiſtor. Eccleſ. Tomum, Anonymi diſſertatio hiſtorica in monetam Herodis Antipæ. Toinardi Concordia, Pezronii Hiſtoria Evangelica & permulti alii hac de re libelli.

De Traditione.

Vid. Bellarminus, aliique Controvertistæ. du Pinii Doctrina Orthodoxa & autores in loc. theolog. allegati.

Characteres veræ Traditionis,

Vid. Vincentius Lerinensis in Commentario, du Pinius ibid.

De Ecclesia.

De auctoritate Ecclesiæ.

Vid. Bellarminus & reliqui Polemici, imprimis Fratres Adrianus & Petrus Wallenburchii, Nicolii Præjudicia legitima cont. Calvinianos: ejusd. liber, quem inscribit *Protestantes Schismatis convicti*. Ejusd. *Unitas Ecclesiæ* contra Petrum Jurieum: Davenportius, Holdenii Analysis fidei, du Pinii de Doctrina Orthodoxa.

De perennitate & infallibilitate Ecclesiæ.

Vid. iidem.

De characteribus & notis Ecclesiæ.

Vid. iidem.

De Conciliis Generalibus.

De auctoritate Conciliorum Generalium, num illa infallibilis, & auctoritate Papæ superior sit?

Vid. Gersonis plura scripta. Richerii & Vigoris libri. Launoji Epistolæ. Declaratio conventus clericorum, 1682. Dupinii dissertationes de Antiqua Ecclesiæ disciplina, item de Potestate Ecclesiasticâ & temporali : ejusdem de doctrinâ orthodoxâ.

Cui jus competat, Concilia generalia cogendi, in illis præsidendi, eaque confirmandi?

Vid. Idem.

De Auctoritate Patrum.

Vid. Vincentius Lerinensis in Commonitorio & auctores supra de Conciliis allegati. Dallæus de usu Patrum cum responsione Scrivenerii.

De auctoritate Papæ in rebus fidei.

Quod decisiones ejus non sint infallibiles.

Vid. Gerson, Almainus, Richerius, Simon Vigorius, Declaratio Cleri Gallicani 1628. du Pinii antiqua Ecclesiæ disciplina, deque Doctrina Christiana.

De methodo res theologicas tractandi.

Gerson de examinatione doctrinarum, Clemangis de studio theologico. Erasmi Methodus veræ Theologiæ, Melch. Cani Loci Theologici, Hyperius de studio theologico. Valla-Vicentius Hyperii plagiarius, Davenportii Systema fidei. P. Mabillonius de studiis monasticis, du Pinius de doctrina Christiana atque Orthodoxa. Cap. XX. & XXIII.

De attributis Divinis in genere.

Vid. Prima S. Thomæ Pars, Lombardi I. Sententiarum liber, Commentatores, imprimis Estius, Petavii & P. Thomassini primum Theologicorum dogmatum volumen.

De existentia DEI.

Vid. præter Theologos, supra de veritat. Relig. Christ. alleg. auctores, præcipue Cartesii meditationes. Mallebranchius de inquirenda veritate. Jacqueloti Existentia DEI.

De

De distinctione attributorum divinorum.

Vid. S. Bernhardus contra Gilbertum Porretanum. Scholasticorum libri varii. l'Herminier tractatus de eodem argumento.

De spiritualitate DEI.

Vid. S. Epiphanius contra Audœanos. Pamelii, Paradoxa Tertulliani cum antidoto. S. Coteleri nota in Homiliam aliquam. Clementi vulgo attributam p. 731. edit. recent. Huetii Origeniana. l. 2.

De æternitate DEI.

Vid. Hujus Definitio per Boëtium data, quam sequuntur Theologi Scholastici : defendit contra Socinianos Hornbeckius, in Socinianismo confutato l. 2. & Maresius in Hydra Socinianismi expugnata.

De immensitate DEI.

Vid. Philosophi in materiam hanc inquirentes & inter recentiores, Arnaldus & Malebranchius, qui contentionis serram mutuo invicem reciprocantur.

De visione DEI. Num beati DEum intuitive videant?

Vid. P. Garnerius in Auctario Operum Theodoriti diss. 3. cap. 7. Clemens Galanus in Conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana. Allatius in libro cui titulus : Jo. Hottingerus fraudis & imposturæ convictus, & in libro de octava Synodo Photiana.

De disputatione inter Barlaamum, Palamam & Acyndinum. Num essentia divina ipsa videatur,

Vid. præter Theologos ex Thomiſtarum ſcholâ eorumque adverſarios in ſuis ſummis præcipue Alvarezius, Lemos, Suarezius Petavius, Contemſon, &c. Ludov. Molina Jeſ. de Concordia pro ſcientia media. P. Tiphenus quoque Jeſ. contra ſcientiam mediam in ſuo lib. de ordine decretorum divinorum. Guilielmus Twiſſii diſput. de ſcientia media adverſus Arminianos & Suarezium. P. Serrii Schola Thomiſtica vindicata. Lud. Blancii Theſes Sedanenſes, de decretorum ordine. P. Daniel in ſuis litteris. Nat. Alexandri Reſponſio, & ſexcenta alia de prædeſtinatione ſcripta eriſtica.

De voluntate DEI.

Diſtinctio voluntatum divinarum.

Vid. Scholaſtici.

Num voluntas DEI rerum cauſa ſit.

Vid. lib. ſupra in penultimo articulo allegati.

Num voluntas DEi ſemper ſit efficax.

Vid. Idem. Particularia quædam de his quæſtionibus offendes in P. Mallebranchii de naturâ & gratiâ & in Arnaldi Reſponſione, cujus fert titulus: Animadverſiones Philoſophicæ & Theologicæ.

De Providentia.

Quâ viâ, modo atque ordine DEUS omnia regat?

Vid. Thomæ Bradwardini lib. tres de cauſa DEI. Malebranchius de Natura & Gratia Animadverſiones Philoſoph. & Theolog. de miraculis Vet. Teſt. liber.

De Prædestinatione & Reprobatione.

Num electorum ad gloriam prædestinatorum opp. eorum prævisione prior aut posterior sit?

Num prædestinatio prævisionem peccati originalis præcedat, vel subsequatur?

Num reprobatio damnatorum ante prævisionem peccati sit mere negativa?

Num reprobatio prævisionem peccati originalis præsupponat?

Vid. de his quæstionibus polemicis contra protestantes, tum ipsorummet Protestantium scripta pro partium ratione sibimetipsis opposita e. g. Gomaristarum & Arminianorum, Thomistarum eorumque de prædestinatione adversariorum libri, quæque in Flandria atque Gallia edita sunt de gratia in illis locis, ubi de prædestinatione atque reprobatione actum fuit.

De Trinitate.

Quæstiones de explicatione Mysterii Trinitatis generales.

Vid. Theologi, quos inter Magister Sententiarum, S. Thomas, Estius, Petavius & ex veteribus Boëtius & Anshelmus de Trinitate.

Distinctio trium Personarum divinarum contra Sabellianos confirmata.

Vid. Epistola Concilii Antiocheni in Eusebio. Dionysii Alexandrini Apologia à S. Athanasio edita. Eusebii Cæsareensis adversus Marcellum Ancyranum lib. S. Athanasius contra Sabellianos.

Divi-

Divinitas Filii atque Spiritus Sancti probata 1°. Ex Scriptura Sacra contra Arianos.

Vid. lib. veterum, imprimis S. Athanasii, S. Hilarii, S. Basilii & S. Augustini, Maximi, Vigilii Tapsensis, & S. Fulgentii.

Contra Socinianos.

Vid. Jos. Placei de Præexistentia verbi, Hoornbeckius.

2°. ex traditione veterum Patrum.

Vid. Petavius in Dogmatibus Theologicis, Huetius in Origenianis, Georgii Bulli Defensio Fidei Nicænæ. Observat. Nicol. Nourrii, & du Pinius de doctrina veterum Patrum de Trinitate. Bossueti animadversiones in Jurieu. Abbatis Faiditi de Trinitate Systema & P. Hugonis responsio Faiditi, defensio, & altera Hugonis responsio.

De quæstione num Spiritus Sanctus à Patre & Filio simul, vel à solo Patre procedat, Græcos inter & Latinos agitata.

Vid. Allatius in Græcia Orthodoxa. ejusdem Vindiciæ Synodi Ephesinæ & S. Cyrilli de Processione Spiritus Sancti & idem de Synodo VIII. Photianâ imprimis cap. 14. id. Hottingerus fraudis & impietatis convictus, & P. le Quienius in I. in Jo. Damascenum dissertatione.

De additione particulæ : Filioque.

Vid. Petri Pithœi Historia Controversiæ de processione Spiritus. Allatius contra Creigthonem Exerc. X. & XII. P. Mabillonius sæc. II. Benedictino. & Musæi Italici P. 1. p. 45.

Num locutio hæc Trina Deitas sit adprobanda?

Vid.

Vid. Gothorum lib. Calcus & Hincmarus.

Num dici possit, Unus è Trinitate passus?

Vid. Monachorum Scythicorum & Episcoporum Africanorum Epistolæ. P. Norisii dissert. ejusque pro Monachis Scyth. apologia.

De Angelis.

Quæstiones Scholasticorum de angelis *ordinariæ* multum inutiles, præter sequentes, nullam merentur decisionem.

Num corporales sint, vel meræ substantiæ spirituales?

Vid. Estius in sententiis quæstionem hanc bene composuit. P. Nourry in apparatu in Tatianum & S. Clementem Alexandrinum. Huetius in Origenianis. Norisii Vindiciæ Augustinianæ L. VI. c. 10.

De Hierarchia Angelorum P. Morinus de Ordinationibus in Ritum Maronitarum. Cotelerii notæ in cap. 12. Constitut. Apostolicarum. Dallæus de libris Dionysio adscriptis. Lib. I. c. 3.

De Angelis tutelaribus. Num dentur?

Num singuli homines custodibus angelis stipati sint? &c.

Vid. Cotelerii notæ in primum Hermæ librum, in Epistolam S. Clementis, in 8. librum Constitut. Apostolor. & in Recognitionum secundum librum. Mauduiti dissert. in Acta Apostolorum, Huetius in Origeni. q. 5. Nourri in Apparatu ad Hermam & S. Clementem Alexandrinum. Et Polemici, imprimis Coccius t. I.

Num

Num Angeli liberas hominum cogitationes cognoſcant?

De lapſu Angelorum, deque Dæmonibus.

Vid. Theologi.

De Incarnatione.

In omnes quæſtiones in genere.

Vid. Patrum de hoc Myſterio lib. præ reliquis S. Athanaſius cum duabus ejusdem Epiſtolis, quarum altera ad Epictetum, altera ad Adelphium. S. Gregorii Nazianceni ſermo 46. ejusque duæ ad Cledonium epiſtolæ. Caſſiani ſeptem libri de Incarnatione. S. Cyrilli & Theodoreti Opera. Acta Concilii Epheſini & Chalcedonenſis. Theologi recentiores, imprimis P. Petavius in Dogmatibus ſuis theologicis & P. Garnerii diſſertat. in Marium Mercatorem.

De unione hypoſtatica duarum naturarum in una ſola perſona JEſu Chriſti contra Neſtorium.

Vid. Iidem. ex antiquis præcipue, Cyrilli Scripta, Concilii Epheſini Acta. Caſſianus de Incarnatione, Theologi plures, inpr. Petavius.

Num corpus JEſu Chriſti doloribus fuerit ſubjectum?

Vid. Benedictinorum notæ in S. Hilarium. P. Nourri in Apparatu ad S. Clementem Alexandrinum.

Num JEſu Chriſti corpus ſanguinem adhuc habeat.

Petri Allixii diſſertat. latinæ, & Jacobi Boileau.

De Pulchritudine corporis JEsu Christi.

Rigaltii dissertat. in fine Tertulliani, Vavassoris disp. de forma Christi, aliique.

Num corpus Christi sit ubique?

Si quis quæstionem hanc solide pertractare desiderat (quod tamen non est necessarium) ea legat, quæ Lutherani ex utraque parte scripserunt: imprimis ea sufficient, quæ Hospinianus in sua Historia Sacramentaria, & in Concordia Discorde, le Blanc in thesibus Sedanensibus & Polemici nostri hac de re habent.

De scientiâ & visione animæ JEsu Christi.

Vid. Theologi, Bellarminus, Melchior Canus Lib. XXII. c. 15. P. Petavius de Incarnatione. Coccejus L. V. Thes. Cath. t. 1. le Blancii Theses Sedanenses.

De libertate JEsu Christi.

Vid. Theologi & Polemici, imprimis Contensonius, & Massulie.

De descensu JEsu Christi ad inferos ejusque prædicatione.

Vid. Bellarminus c. 4. de Christo, Fratr. Walenburchii tract. 2. Ligthfootus, Cotelerius in Hermæ lib. 3. Usserius de Epistolâ Ignatii ad Trallianos suppositîtiâ. Nourri in Hermam. du Pinius in Bibl. & in Apocalypsin.

De duarum JEsu Christi naturarum existentia reali, absque confusione & commixtione.

Vid. Idem. Chrysostomi ad Cæsarium Epistola. Theodoreti Opera, imprimis ejus dialogi. S. Leonis ad Flavium Constantinolitan. Epistola Acta Con-

Concilii Chalcedonensis. Vigilii Tapsensis quinque libri contra Eutychen. S. Leontii & Maximi Opera. Theologi, imprimis Petavius.

De duabus JEsu Christi voluntat. duabus operat. duabusque nat. divinâ & humanâ.

Vid. Acta Concilii Romani. de Papa Agathone, deque sexto Concilio. nonnulla Photii de duabus JEsu Christi voluntat. scripta. tum Theologi recentiores.

Num JEsus Christus filius DEI naturalis vel adoptivus dici possit?

Vid. Aleninus, Eutherius, Paulinus Aquileensis, Agobardus contra Felicem & Elipandum cum definitione Concilii Francofurtensis. Theologi, & Card. Aguirre de Conciliis Hispanicis.

De satisfactione JEsu Christi.

Vid. Grotius de Satisfact. J. C. Hornbeck. Socin. confutat. 1. t. 2. l. 3. P. Tiphanius Jesuita, Socini, Crellii aliorumque Unitariorum Object. Dion. Petavius aliique Theologi.

De additione verborum in Trisagio, qui crucifixus pro nobis.

Vid. Valesii adversus Petrum Gnaphensem dissert. in fine Historiæ Eccl. Evagrii.

In hanc quæstionem, num dici possit, ex Trinitate unum passum esse, deque contentionibus ab ea excitatis.

Vid. Norisii dissertat. hac de re solide scriptæ: qui quæstionem exhaurit.

Num divinitas ab humanitate in sepulchro fuerit separata?

Vid. Pallavicini Histor. Concil. Trident. l. 7. c. 16.

præfa-

præfatio Benedictinorum in S. Hilarium & notæ in S. Ambrosium. Nourri in Apparatu in Clementem Alexandrinum.

De doctrina & opinione Nestorii.

Vid. P. Petavii diss. de Supposito cum Responsione in suo de Incarnatione opere P. Garnarius in dissertat. suis in Marium Mercatorem. Rich. Simonius de fide Ecclesiæ Orientalis. Abbatis Renaudoti 4. tomus de Perpetuitate fidei.

De Resurrectione mortuorum.

Vid. Athenagoras, Tertullianus, Ambrosius, Chrysostomus de Resurr. Mor. & nonnulli alii Theologi moderni, quos inter Georgius Calixtus, Calovius, Cloppenburgius, Hottingerus, atque Vossii theses.

De Judicio Extremo.

Vid. S. Jo. Damascenus, le Quieni dissertat. de ult. jud. Hieron. Maggi 5. libr. de Exustione mundi. Fridericus Nausea de præmio bonorum, malorumque supplicio. Ambrosius, Catherinus. du Pinii diss. de ultimo Judicio in fine Apocalypsεως.

De Anti-Christo.

Vid. Thom. Malvenda de Anti-Christo, Grotius cum responsione Maresii. Blondellus in Oraculis suis Sibyllinis hanc quoque materiam pertractavit. Vid. etiam Polemici.

De Purgatorio & pœnâ mortuorum.

Vid. Polemici, Bellarminus, Grotii fasciculus Locorum hac de re ex Patribus collectorum, Fratres Walenburchii, Forbesius, à Corse, Blondellus

dellus in Oraculis Sibyllinis, Arcudius de Purgatorio, Thomus Anglus de medio animarum ſtatu, Mabillonius in præfat. ad lib. III. Annalium Benedictinor. S. Auguſtinus de piis mortuis, Jo. Damaſcenus, le Quieni diſſertat. Allatii conſenſus Eccleſiæ Græcæ & Latinæ, Perpetuitas fidei T. I. l. 1. c. 9. Cotelerius ad 8. librum Conſtitut. Apoſtolicar. c. 42. du Pinii diſſ. in analyſin Apocalypſεως Johannis.

De inferno & æternâ damnatorum pœnâ.

Vid. auctores contra Socinianos. Huetius in Origenianis queſt. ult. Nourri Adparatus in S. Juſtinum. Cordemoi peculiaris hac de re liber.

De interceſſione & invocatione Sanctorum.

Vid. Polemici imprimis Jo. Heſſels, Nicolaus Faber. Davenportius de invocatione Sanctorum, & noſtri Theologi recentiores, Garetii collectanea locorum Patrum ad probandam invocat. & interceſſionem Sanctorum. Epiſcopi Caſtorienſis lib. de invocatione Sanctorum.

De cultu Sanctorum.

Vid. Polemici, inter alios Hochſtratanus, Jodocus Clictoveus, Latomus, Catharinus, Bellarminus & Sexcenta modernorum alia ſcripta.

De cultu reliquiarum Sanctorum.

Vid. S. Hieronymus contra Jovinianum & Vigilantium. Auguſtini ad Dulcitium reſponſio. Nicol. Faber de Invocatione Sanctorum, eorumque reliquiarum cultu. Launojus de cura

X Eccleſiæ

in

in ſuis Liturgiis. Quique de imaginibus, earumque cultu egerunt.

De cultu B. Virginis.

Vid. Quæ Epiphanius adverſus Collyridianos & Antidicomarianiates habet. Polemici. Item B. Virginis ſalutaris admonitio ad inſulſos ſuos cultores. Epiſcopi Tornacenſis Inſtructio Paſtoralis in hunc librum. Cenſura Facultatis Theologicæ Pariſienſis libri Mariæ Agredæ. Bailletus de religioſo S. Mariæ cultu.

De perpetua B. Virginis virginitate.

Vid. S. Ambroſius de Inſtitut. virginum ejusd. 42. epiſtola.

Siricii Epiſtola contra Bonoſum & Jovinianum. S. Hieronymi lib. contra Jovinianum. S. Epiphanius contra Helvidium. S. Ildeſonſus Toletanus de virginitate perpetua. Paſchaſius, Ratbertus, & Ratramnus de modo nativitatis JEſu Chriſti. Jodocus Clictoveus de virginis puritate. P. Mabillonius in ſeculum 4. Benedictinorum in ſua Præſatione. le Nourri adparat. in S. Clementem Alexandri. Andreæ Riveti Apologia pro Virgine Mariæ.

De Conceptione Virginis.

Num ea ſine peccato concepta ſit?

Vid. S. Bernhardi Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes de feſto Conceptionis, quod novum ſit, & nullo nitatur legitimo fundamento. Petrus de Alliaco contra Monteſonem & Facult. Theologicæ Pariſienſis Cenſura adverſus eos, qui immaculatam virginis conceptionem in dubium vocant.

Hiſtoria Concilii Baſileenſis, in quâ peculiare caput eſt, ad probandam hanc ſententiam, in Richerii Hiſtor. Conciliorum Generalium. Cajetanus de Conceptione. Bardelius de ſingularitate conceptionis JEſu Chriſti, Maldonatus de peccato originali, ejusque epiſtolæ, quæque Richerius in ſuà Hiſtoria contra eum habet. Launoji Præſcriptiones. Liber de immaculata Mariæ conceptione adverſus Launoji præſcriptiones. Quæque Hiſtorici Concilii Tridentini, & imprimis du Pinius in ſua Hiſtoria Concilii hujus, Tomo XV. Bibliothecæ Eccleſiaſticæ inprimis quæ profert è Manuſcripta relatione Johannis Kurtenboſch, Gandavenſis, qui præſens aderat in Concilio, tempore actionis illius, & decreti.

De Morte & aſſumtione Virginis.

Vid. Jodocus Clichtoveus tractatu de Aſſumpt. item ſcripta Launoji & Jolii de aſſumptione B. Virginis Corporali: tum Defenſio aſſumptionis Corp. edita per Dn. L'avocat & Gaudinum. Porro quæ Scriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Baronius, Tillemontius, Fleurius aliique habent.

De Legibus.

Vid. Gerſon de vita ſpirituali, Grotius de Jure B. & P. Seldenus de jure naturali & Gentium, Puſendorf de eodem. Theologi & Canoniſtæ, qui de legibus ſupra citatis agunt.

De actionibus humanis.

Vid. Theologi, hanc materiam pertractantes.

De

De regulis Moralibus,

quæ ſunt:

1°. *Leges naturales & poſitivæ, divinæ, & humanæ.*

Num ignorantia legis naturalis invincibilis ſit, peccatumque excuſet?

Vid. Sinnichii Saulus Ex Rex. Contenſonius, Wendrockii diſſertatio.

2°. *Conſcientia.*

Contenſonius, Wendrockius, P. Daniel, Natalis Alexandri Reſponſio.

3°. *Num probabilitas peccatum ſemper excuſet*, homoque teneatur, probabiliorem opinionem ſequi, vel ubi duæ opiniones eâdem probabilitate gaudent, num certiorem ſequi debeat. Miſſis auctoribus, qui ſuſpecti eſſe poſſunt, videatur, P. Thyrſis, Gonzalez Jeſuitarum Generalis & P. Gisbertus Jeſ. de probabilitate, utpote qui materiam totam data opera velut exhauſerunt. Legi quoque Wendrokius poteſt. Cum defenſione Theologorum Burdegalenſium de hac materia. Item Paſtorum Pariſienſium ſcripta, quibus Fagnanus, Mercorus & P. Baronius jungi poſſunt.

De Peccatis in genere.

Vid. Theologi.

De peccato originali.

Vid. Præter vulgares Theologos, Catharinus Maldonatus & Bajus, editis peculiaribus libris.

De statu infantum, qui absque baptismo peccato originali subjecti decedunt.

Num sensuum dolorem sustineant, an non?
Vid. Florentius, Conrius, Moræues in Anti Jansenio. Epistola infantum in limbo gementium. Norisii Vindiciæ Augustinianæ. Grancolas de Peccato originali. du Pinii dissertat. in Apocalypsin, ubi quæstio in utramque partem ventilata est.

Distinctio inter peccatum veniale & mortale.
Vid. Theologi & Polemici.

Num DEus auctor peccati sit?
Iidem.

De gratia, libero arbitrio: harmonia gratiæ, liberique arbitrii: differentiæ statuum hominis: prædestinatio & reprobatio, & infinitæ aliæ quæstiones his affines inter Catholicos: Pelagianos & Semi-Pelagianos; tum inter Prædestinatianos, eorumque adversarios, inter Gommaristas & Arminianos, inter Thomistas & eos, qui contrarias sententias tuentur, inter defensores Jansenii, & alios Theologos, de Constitut. Paparum & Episcoporum judiciis, &c.

Materia hæc tam vasta est, tamque multi libri atque systemata hac de re prodierunt, ut impossibile ferme sit, omnium harum quæstionum statum rite formare, librosque hac de re legendos nominare. Catalogi satis ampli extant, & in sequentibus specialius illi cognoscentur.

De

De virtutibus cardinalibus & theologicis.

Vid. Theologi & imprimis secunda, secundæ Summæ D. Thomæ, adde his Polemicos.

De justificatione & necessitate bonorum operum.

Vid. Theologi & Polemici, præ reliquis omnibus Ant. Arnaldi lib. de Eversione doctrinæ moralis doctrinâ Calvinistarum in justificatione, atque scripta pro defensione hujus libri tam ab Arnaldo, quam à Fabro composita, cum responsione doctoris Jacobi Feronii.

De omnibus in genere & in specie Sacramentis.

Vid. Thomas Waldensis, Maldonatus, Estius, Bellarminus, M. Antonius de Dominis, Pet. Arcudius, Casp. Iveninus aliique Theologi de Sacramentis in genere & specie agentes.

De quæstionibus Sacramentorum generalibus.

1°. *Sacramentorum numerus.*

Vid. Theologi & Controvertistæ. Allatius de consensu Græcorum, l. 2. de cons. utr. Eccl. & Arcudius.

2°. *Materia*, forma & origo horum verborum

Vid. l'Morinus de Pœnit. Lib. VIII. c. 17, 18. Arcudius.

3°. *Quando forma conditionalis in usum fuerit deducta?*

Vid. Joh. Morinus de pœnit. l. 10. cap. 12. & de

de ſacris Ordinationibus, Exercit. 1. P. Quesnel in Epiſt. 134. S. Leonis, P. Martene.

4°. *Efficacia Sacramentorum.*

Vid. præter Theologos ſupra citatos & Polemicos, Voſſii Præfatio in Diſſertationes de Baptismo. Blancii Theſes Sedanenſes. Fabri (le Fevre) Motiva invincibilia.

5°. *Quæ intentio Miniſtri ad Sacramenti efficaciam requiratur?*

Vid. Catharini opuſculum: Salmeronis Jeſuitæ Commentarius in Epiſtolam Pauli ad Romanos, Contenſonii diſſert. exiguus libellus, cui titulus eſt Examen opinionis Bellarmini. Pallavicini Hiſtoria Concilii Tridentini, item Pauli Sarpii. Petri de Marca diſſ. poſthuma de Sacrificiis. Steyaerti tertia difficultatum objectarum pars. Faber in additionibus ad motiva invincibilia.

6°. *Quæ ſint Sacramenta, characterem indelebilem imprimentia, & in quonam character ille conſiſtit?*

Vid. Eſtius, Bellarminus, Antonius de Dominis quæſtionem hanc præcipue pertractarunt. V. quoque Morinus de ſacris ordinat. exercit. 3.

7°. *Num lavatio pedum in Sacramentorum numerum redigi poſſit?*

Vid. Obſerv. Benedictinorum in Ambroſii locum quendam, & P. Mabillonii in S. Bernhardum annotationum una. De Sententia Græcorum hoc in articulo Allatius Lib. II. de conſenſu utriusque Eccleſiæ. Arcudius Lib. II.

De

De ritibus & cerimoniis Sacramentorum.

Vid. Josephus Vicecomes, Cassandri Liturgica, Jac. Gouari Euchologium Ecclesiæ Græcæ. Edmundus Martene de Antiquis Ecclesiæ ritibus. Liturgiæ à P. Mabillonio editæ. du Vertii & Grancolasii libri. Et inter Protestantes Dallæus de Cultibus Latinorum Religiosis, qui liber inprimis inserviet allegationibus è veterum Patrum scriptis faciendis.

De Baptismo.

Quæstiones Generales.

Vid. Vossius in diss. de Baptismo & Caput 1. libri 7. Antonii Arnaldi de Eversione doctrinæ moralis per dogma de justificatione.

De materia Baptismi Sacramenti.

Vid. P. Martene, it. Joh. Harduni diss. de Baptismo in vino.

De forma.

Num Baptismus in nomine JEsu Christi collatus olim sit, & conferri possit?

Vid. Dissertatio Harduini. Halloixii Origenis. Defensi Lib. III. Patrum Benedictinorum in Ambrosii locum observat.

Num necessarium sit dicere Ego baptizo te?

Vid. Morin. de Pœnitentia Lib. VIII. cap. 16. & 21.

De formâ Græcorum.

Vid. Allatius, Arcudius, Morin. ibid.

Num hæreticorum baptismus sit firmus & efficax?

Lectis hâc de quæstione S. Cypriani & Firmiliani epistolis; tum tractatu Anonymi cujusdam inter Opera Cypriani, S. Augustini de Baptismo aliisque contra Donatistas scriptis.

Vid. Launojus & P. Cornbofisius de Concilio Plenario. Launoji Epistola 8. Davidis ad Launojum responsio, Tillemontii & du Pinii in S. Cyprianum observat. & du Ptnius in Optatum.

De Baptismo infantum.

Præter ea, quæ S. Cyprianus in suâ ad Fidum Epistola & S. Augustinus in suis de Baptismo libris, & plurimis aliis locis habet.

Vid. Cassandri librum ejusque cum Anabaptistis duobus Colloquia. Arnoldi septimus de Eversione doctrinæ moralis liber.

Quid Paulus per Baptismum super mortuis II. Cor. XV. *intelligat?*

Vid. Estius in h. l. Spanheimii diss. de Baptismo pro mortuis. Thom. Smith de Baptismo suprà mortuos. Henr. Müllerus de Bapt. pro mortuis: Joh. Harduinus de Bapt. pro mortuis.

Conf. observat. Albaspinæi & Cotelerii annot. in tertium Hermæ librum.

Num Judæorum & Infidelium infantes invitis parentibus baptizari possint?

Vid. Catharinus. Launojus, & P. Nicolai, qui dissertat. hac de re scripserunt.

De ritibus & ceremoniis Baptismi.

Vid. lib. Amalarii Fortunati, Theodulphi, Aurelianensis, Leidradi, Jessei, Odilberti: Viceco-

cecomitis obſervat. Edm. Martene. Albaſpinæus Lib. II. obſervat. c. 1. de veteri diſciplina.

Quo die Baptiſmus ſolemnis olim peractus fuerit: Vid. Launojus & Nicolai.

Num Judæorum infantes invitis parentibus baptizari poſſint?

Vid. Launoji diſſertat.

Tempus annuum ſolemne, quo Baptiſmus in antiquis Eccleſiis ſolemniter adminiſtratus fuerit?

Vid. Launoji & Nicolai diſſertat.

De Confirmatione.

Vid. lib. de ſainte Beuve, Dallæi, Henrici Hammondi, Lucæ Holſtenii & P. Morini. Multas res, formam, effectum, tempus, & adminiſtrationem hujus Sacramenti concernentes in notis P. Menardi ad Sacramentarium Gregorii reperies.

De modo atque forma hujus Sacramenti.

Vid. Scripta Petri Aurelii & Jacobi Sirmondi. P. Menardus in ſuis obſervat. in S. Gregorii Sacramentarium & P. Martene in liturgiis Eccleſiaſticis.

Num ritus, quo in antiqua Eccleſia Hæretici excipiebantur, Sacramentum fuerit Confirmationis?

Vid. Morinus de Pœnit. Lib. IX. Jacobus Goarus in Euchologo Græcorum. Dion. Petavius in notis ad S. Epiphanium. Marca in can. 28. Concilii Claromontani.

Num Sacerdos Confirmationis Sacramentum conferre poſſit?

Vid.

De Sacramento Eucharistiæ.

tua consensione. Primus Perpetuitatis tomus. Responsio generalis. Quartus Renaudoti de perpetuitate tomus. P. Parisius de Fide Ecclesiæ Græcæ. Rich. Simonis Fides Ecclesiæ Orient. ejusque in Gabrielem Philadelphiensem observationes. Thom. Smith liber de fide Eccles. Græcæ. Posteriores tamen caute atque circumspecte legantur.

Quænam in Seculo IX. de Eucharistia quæstio fuerit agitata?

Vid. Perpetuitas Fidei. Mabillonii præfatio in quartum Benedictinorum Seculum. Matthæus Larroquanus in Historia Eucharistiæ. du Pinius in Histor. Seculi IX. ubi quæstio solide discussa est.

Sitne Bertrami liber doctrinæ de præsentia reali contrarius? num Ratramnum vel Johannem Scotum auctorem habeat:

Vid. Perpetuitas. Larroquanus de Euchar. Marcæ ad Lucam Dacherium Epistola t. 2. Spicilegii. P. Parisii dissertatio in fine tomi primi de perpetuit. P. Mabillonius in præfat. sec. Bened. quarti. P. Harduinus de Sacramento Altaris. P. Cellotus in notis ad Anonymum. Boileau in suâ præfat. atque observat. in Ratramni librum, una cum defensione Ratramni contra Harduinum. du Piii in nono Bibliothecæ suæ seculo.

De institutione Sacramenti.

Vid. Auctores supra ad quæst. num Salvator noster Pascha, & quo die celebraverit, allegatos.

De

De materia hujus Sacramenti.

Num Ecclesia Latina pane semper azymo, Græca autem fermentato in Eucharistia usa sit?

Vid. P. Sirmondi diss. de azymo. P. Mabillonii de eodem. Card. Bona de rebus Liturgicis Lib. II. c. 3. noviss. edit. P. Martene. Ciampini diss. Allatii in Creigthon. diss. 6. cap. 27. 28. Dallæus de cultibus religiosis.

De forma hujus Sacramenti.

Num ea in his JEsu Christi verbis tantum consistat.

Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, an in precibus.

Vid. præter Theologos in loco de Sacramentis, Christophorus à Capite fontium de necessaria Theologiæ reformatione. Larroquanus (la Roque) Aubertinus. Allatius de concor. & exer. in Creigthonem. Simonii observat. in Gabr. Philadelphiensem. Bossueti Explicatio difficult. de Missâ. Item dissertatio Dn. Florian.

An vinum per contactum consecretur? hoc est, si consecratæ hostiæ pars quædam in illud injicitur.

Vid. P. Mabillonius ad Ordinem Romanum p. 71. & Bossuetus in de Communione sub utrâque specie.

De Transsubstantiatione in specie, quomodo illa fiet?

Num panis & vinum in corpus & sanguinem JEsu Christi transmutentur?

Vid. Auctores supra de præl. reali allegati aliique Polemici.

Quo-

Quomodo Transsubstantiatio fiat?
Num accidentia, quæ post consecrationem remanent, realiter adsint?
Vid. Cartesii Epistola, exiguus Rohaulti libellus. Calii Durandus commentario illustratus. Desgabetus.
JEsus Christus sitne in Eucharistia vivus aut mortuus?
Vid. Gersonis, Herveti, & Maldonati, in opp. posthumis Epistolæ.
De adoratione Eucharistiæ.
Vid. Espencæi de Eucharistia ejusque adorat. libri Boileau, Dallæus de cultibus religiosis. Larroquanus in de Euch. p. 3. c.4. & Polemici.
Sitne Eucharistia sacrificium propitiatorium, pro vivis & mortuis?
Vid. Præter Controvertistas, Garetii Collectio de sacrificio Missæ, Gropperus, Alanus, Bajus.
Communio sub utraque specie sitne divinitus præcepta?
Quamdiu illa in Ecclesia usum obtinuerit?
Quænam sint rationes illius abrogatæ?
Sintne sufficientes atque justæ?
Vid. Præter Theolog. & Polemicos, Gerson, Nicol. de Cusa Gropperus. Jo. Hesselius, Georg. Cassander, Davenportius, Nihusius, Bossuetus, & Grancolas. de Marca in canone Concilii Claramontani. Card. Bona l. 2. de reb. liturg. Dallæus de Cultibus lat. Lib. IV. Larroquanus de Eucharistia. Allatius ad calcem libri de perpetuo consensu, & in libro de VIII.

Synodo

Synodo Photiana c. 4. Mabillonius in præfat. tertii Benedictinorum Seculi p. 1. Observ. 10. & Musei Italici P. 1.

Eucharistiæ usus sitne necessitate medii ad salutem necessarius? Sitne infantibus quoque concedendus?

Vid. Card. Perronius in suâ Responsione. Card. Norisius Vind. August. §. 3. Lib. IV. Maldonatus in 6. Evangelii Johannis caput.

Quis Eucharistiam administrare debeat?

Vid. Grotius de administratione Cœnæ, ubi pastores non sunt. Rigaltii observ. ejusque diss. in Tertulliani verba: *offers & tinguis, & sacerdos es tibi solus.* Albaspinæus in Politica veteris Ecclesiæ. P. Petavius in sua hâc de re Diatriba & Dodwelli de eadem dissertatio in Tertullianum.

De ritibus & ceremoniis celebrationis sacrificii Missatici.

Vid. Auctores IX. Seculi. Cassandri & Pamelii liturgiæ. Vicecomitis Observat. Cordurcus de sacrificio Missæ atque Communione. Albaspinæi observat. P. Mesnardus & Goar. egregius Card. Bonæ de Liturgicis liber. P. Mabillonii liturgia Gallicana & constitut. Ro. Dallæus de cultibus religiosis. P. Martene. de Vert. & Grancolas de ceremoniis Missæ.

De usu privatarum Missarum.

Vid. Auctores supra citati Polêmici, Sanderus, Tilius, Espencæus. Dallæus de Cultibus Relig. Cassandri Consultatio. Allatius de compensa.

pensa. Lib. III. c. 15. Georg. Calixtus de Missis privatis. Mabillonius in Præfat. secundi Benedict. seculi & part. 1. Seculi tertii.

Num christiani teneantur Parochiali Missæ interesse?

Vid. Fillesacii diss. P. Martene, Casus quidam Parisiis 1704. typis impressus, & nonnulla alia.

De frequenti Missarum celebratione.

Vid. du Pinii dissertatio paucis paginis constans.

Num liceat accipere aliquid pro celebratione Missæ?

Vid. Mabillonius in Præfat. tertii Benedictin. seculi. p. 1. Observat. 8. Vanespen. du Pin. supra.

Num cultus olim in vulgari linguâ celebratus sit?

Num adhuc in ea celebrari debeat?

Vid. Polemici. Cassander de divinis officiis. Card. Perronius in respons. L. VI. *Allatii Hottingerus fraudis convictus. Arnaldus de lectione Scripturæ Sacræ. Steyaerd. aliique libri.

Quo tempore S. Sacramentum s. Venerabile exponendum?

Vid. Thiersii Expositio S. Sacramenti.

Quommodo quis in Sacramento digne recipiendo affectus esse debeat?

Num utile & conveniens sit, Sacramento sæpius uti?

Qui sint isti, qui Sacramento frequentius uti debeant.

Vid. Arnaldus de frequenti Communione & P. Petavii responsio. aliique libri hoc de argumento scripti.

Num Eucharistia ultimo supplicio ob sua crimina afficiendis porrigi debeat?

Vid. Gerson de absolutione hominum ad mortem condamnatorum &c. Molanus, Tapperus, alii.

Explicatio termini Communionis.

Diversæ Communionis species.

De Communione laica & peregrina.

Vid. Albaspinæus in Observat. sacris latinis atque gallicis. du Pinius de Excommunicatione. Antonius de Dominis de Communione peregrina.

De veterum Templis, eorumque figurâ.

Vid. Morinus de Basilicis, Allatius de templis Græcorum, Hospinianus de templis, Ciampin. & P. Goar.

Num quis tempore Paschali Sacrâ Synaxi apud Pastorem suum uti teneatur, & quid per nomen proprii Pastoris in decreto Concilii Lateranensis intelligendum sit?

Vid. Launojus in Canonem: *Omnis utriusque datur.* ubi omnem hac in re difficultatem sustulit.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Omnes in genere quæstiones Sacramentum Pœnitentiæ adtinentes à Theologis ab initio hujus articuli allegatis pertractatæ fuerunt, P. Morinus quoque prolixe hâc de materiâ in suo de Pœnitentia opere egit.

In quo materia atque forma Pœnitentiæ consistat?

Vid. Theologi Scholastici supra nominati.

Sitne

Sitne Confessio juris divini?
Num in Ecclesia semper usitata fuerit?
Num tempore Nectarii abolita fuerit?
Vid. Erasmus, Latomus, Fillesaccius, Davenportius, Boileau, Natalis Alexander & Sam. Matthanus contra Dallæum, cujus postremi liber sedulo insimul legendus.
De Sigillo Confessionis.
Vid. Card. Perronius in suâ responsione. Maldonatus, Langletus & Lochonus de sigillo Confessionis.
Sitne Contritio necessaria Pœnitentiæ pars?
Num rectè dividatur in duas, partes in contritionem perfectam & attritionem?
Num attritio ad obtinendam peccatorum remissionem in Sacramento Pœnit. sufficiat?
Num attritio, ut sufficiens sit, amorem DEI super omnia in se includere debeat, an solo pœnarum timore perficiatur?
Vid. Launoji libr. Episcopi Castriensis lib. Jo. Schwicerus, Queras, Boileau, & Theologi.
Sitne satisfactio ad condonandam pœnam necessaria?
Vid. Theologi & Polemici. Dallæus de pœnis & satisfactionibus, quique in Dallæum insurrexerunt.
De pœnitentia publica.
An More primorum Seculorum recepta fuerit?
Num se ad omnia peccata mortalia, etiam ad secreta & abscondita extenderit?
Diversi hujus pœnitentiæ gradus.
Vid. de omnibus his quæstionibus Morinus,

Sirmondi Hiſtor. Pœnit. public. Arnaldus de frequenti Communione. Boileau de Confeſſione auriculari, qui omnium peccatorum confeſſionem neceſſariam arbitrabantur. Dionyſius Petavius in ſuo de Pœnitentia publica, qui contrarium ſtatuit. Joh. Morinus de Pœnit. Lib. V. Petiti diſſertatio in Theodori Pœnitentiale. Albaſpinæi Obſervat. Eccleſiaſticæ, & inprimis de Quæſtione, num omnia peccata mortalia immo etiam abſcondita Pœnitentiæ publicæ ſint ſubjecta? Varetus in tr. de Pœnitentia Publica. Card. Bona, Grancolas, &c.

De abſolutione.

Abſolutionis verba num indicativa vel deprecatoria ſint?

Num Abſolutio declaratoria ſit vel efficax aut efficiens?

De prima harum quæſtionum P. Morinus. P. Goarus, P. Martene. in ſecundam Launoji de Virginitate Partem, traductio libri P. Segenoti. Cenſura Facultatis Theologicæ Pariſienſis de hoc libro.

De procraſtinatione Abſolutionis & diſpoſitione neceſſaria ad digne eam recipiendam.

Vid. liber de frequenti Communione, aliaque Scripta in utramque partem edita, cum Cenſuris Cleric. Gallicani variarumque Diœceſium colloquia.

De Miniſtro Pœnitentiæ Sacram.

Num ne diaconus in neceſſitatis caſu Sacramentum hoc adminiſtrare poſſit?

Vid.

Vid. Albaſpinæus l. 2. obſervat. Sacræ. P. Morinus & Theologi.

De Excommunicatione, & Cenſuris.

Vid. de omnibus quæſtionibus, quæ hac de re moveri poſſunt Morinus in opere de Pœnitentia. Evillonius, Vaneſpen, du Pinius in ſuis diſſertationibus de Excommunicatione & Cenſuris.

De Indulgentiis.

Vid. Controvertiſtæ. Maldonatus peculiarem de Indulgentiis tractatum confecit. P. Morinus aliique Theologi.

De Sacramento Extremæ Unctionis vel potius Unctione Ægrotorum.

Sitne Unctio morti vicinorum Sacramentum?

Vid. Dallæus de Extrema Unctione, Launojus & S. Beuve de eadem.

Quænam materia atque forma hujus Sacramenti ſit.

Quinam effectus?

Vid. lib. ſupra citati. P. Morinus Lib. VIII. de Pœnit. c. 18. n. 13. P. Goarus ad Græcorum Euchologium. P. Martene de Ritibus Eccleſ. P. Menardus in S. Gregorii Sacramentarium.

Num Sacramentum hoc reiterari poſſit?

Vid. de S. Beuve. Launojus.

Num ſanis & incolumibus ad Græcorum morem conferri debeat.

Vid. P. Goarus, Allatius, P. Martene.

Num ægrotis ante vel poſt viaticum porrigendum?

Vid. de S. Beuve, Launojus, P. Mabillonius Præfat. in 3. Annalium Benedictinorum seculum, antiqua Parisina, aliorumque Ecclesiarum Ritualia.

De Sacramento Ordinis.

Omnes quæstiones Ordinationes & Sacramentum Ordinis ingredientes prolixe atque solide discussæ sunt in erudito P. Morini de Sacris Ordinationibus opere, adde & P. Goari Euchologium. P. Menardum in S. Gregorii Sacramentarium & P. Martene.

Quænam forma & materia hujus Sacramenti sit? Vid. Idem.

Ordinum numerus, eorumque origo atque institutio. Vid. Idem, & præ reliquis omnibus P. Morinus.

Quis ordinare alios possit?

Vid. Idem.

Sitne necessarium, ut Episcopi à pluribus Episcopis ordinentur.

Vid. præter supra allegatos Beveregius in Canon: Apostol. Cotelerii observat. in Lib. III. c. 20. Constitut. Apostolicarum. Hermantius in vita S. Athanasii.

Num ordinati denuo ordinationis sacris initiari possint?

Sintne ejusmodi duplicis ordinationis exempla obvia?

Vid. P. Morinus instar omnium hâc in re esse potest.

Fuerintne olim ad ordinationis Sacramentum admissi, qui post collatum sibi baptismum in peccata mortalia inciderant?

Vid.

Vid. P. Morinus de Pœnit. Beveregius in Canonem 6. Apostolicum.

Sintne Episcopi jure divino Presbyteris superiores?

Vid. Blondelli Apolog. pro sententia Hieronymi. Hammondus, Beveregius, Usserius, & Pearsonius, qui Blondellum refutarunt. Salmasius sub nomine Walonis Messalini de Episcopis & Presbyteris. Samuelis Bocharti libellus. Petavii de Hierarchia Eccles. libri contra Salmasium. P. Morinus in prima de Ordinationibus diss. P. Mabillonius præfat. tertii Benedictin. Seculi. Cotelerii in S. Clementis Romani epistolam ad Corinthios observat.

Sintne Episcopi in Ecclesia necessarii?

Vid. Censura Scholæ Sorbonicæ contra libros Jesuitarum Anglicanorum. Joannis Vergerii Abbatis San-Cyrani scripta sub Petri Aurelii nomine edita adversus eosdem Jesuitas Anglic. Hallier & le Maitre de eod. argumento. Beveregius in Pandectis Juris Canonici in quartum Canonem Concilii Chalcedonensis. Defensio auctoritatis episcopalis sub nomin. Episcopi Andegavensis.

De electione Episcoporum.

Vid. Blondellus in capite quodam suæ pro Hieronymo Apologiæ. Isaacus Habertus in Pontificale Ecclesiæ Græcæ. Hallier de Sacris Electionibus. Petrus de Marca sexto & septimo libris Concordiæ suæ. Puteanorum fratrum historia Sanctionis Pragmaticæ, & Concordati.

De Regimine Presbyterorum & Episcoporum.

Quando instituti fuerint?
Sintne iisdem, totque numero in Ecclesia Græcâ, atque in Latinâ?
Vid. Ritualia. Goari Euchologium. P. Morinus, & P. Mabillonius in obſervat. ad ſeculum I. Annalium Benedictin. not. 107. 108. Sec. III. p. 1. ſſ. 4. p. 2. not. p. 182.

De Matrimonio.

De quæstionibus in genere.
Vid. Theologi, imprimis Cajetanus & Catharinus.

De matrimonio Judæorum, eorumque Polygamia, deque divortio apud eos tolerato.
Vid. Bartoloccius in Bibliotheca Rabbinica: Ludovicus Vietta de matrimonio Ebræorum. Seldeni Uxor Hebraica, Buxtorfius de Sponſalibus & Divortiis, Continuatio Hiſtoriæ Joſephi Judaicæ.

Sitne matrimonium Sacramentum proprie dictum?
Vid. Theologi & Controverſiſtæ: it. Jacobi Boileau exiguus libellus.

Quis Miniſter, quæ materia, atque forma ſit hujus Sacramenti?
Vid. Theolog. Marcæ Opera Poſthuma, diſſ. de matrimonio. le Merre de ſenſu Concilii Tridentini. Menardus in S. Gregorii Sacramentarium: Goari Euchologium. P. Martene de Ritibus Eccleſiaſticis.

Sintne ſecundæ, tertiæ & ſubſequentes nuptiæ conceſſæ?
Vid. Cotelerii Obſerv. in lib. II. Conſtitut. Apo-

Quisnam matrimoniis obicem ponere, vel contracta solvere possit? num Rex, an Ecclesia?
Vid. Launojus, Galesius, Gerbæsius, Boileau.

De Historia Ecclesiastica, Conciliis & Auctoribus Ecclesiæ.

Omnes quæstiones, quæ de Historia Ecclesiastica, de Conciliis deque Auctoritate Ecclesiæ formari poterunt, discussæ inveniuntur in Baronii Annalibus, quibus P. Pagi Criticam, tum Baronii Continuatores: Spondanum, Raynaldum, Bzovium. Porro Commentarios de Historia Ecclesiastica Tillemontii atque du Pinii Bibliothecam Ecclesiasticam addi velim. Opera hæc de omnibus quæstionibus, quarum jamjam mentionem faciemus, consuli possunt, lectorique ex voto satisfacient. Eos nunc Auctores saltem indicabimus, qui peculiares quæstiones pro suo modulo pertractarunt.

Seculum Primum.

Num Josephi Judæi de JEsu Christo testimonium genuinum sit?
Vid. Tanaquil Faber. Huetius in Demonstr. Evangelica prop. 3. art. 18. Tillemontius & du Pinius, evolve quoque Moreri dictionarium postremæ editionis.

Num Epistola JEsu Christi ad Agbarum genuina sit & Authentica?
Vid. Valesii in Eusebium annotationes, du Pinius & Tillemontius.

Num certi quid de prædicatione, vitâ atque morte Apostolorum habeamus?

Vid.

Vid.

Vid. Blondellus de Sibyllis. *Iſaacus* Voſſius de Sibyllinis Oraculis. Antonius van Dale de Oraculis Gentilium. du Pinii diſſ. prælim. in Nov: Teſt.

Num Therapevtæ de quibus Philo loquitur, Judæi an Chriſtiani fuerint? an Monachi?

Vid. Valeſii in Euſebium Annotationes. du Pinius in ſua Bibliotheca & in Hiſtoria Judaica. Bernhardi Monfauconii traductio libri Philonis de Therapevtis, cum diſſertat. & peculiaris hâc de re tractatus.

Quænam ſit vera priorum Romanæ Eccleſiæ Epiſcoporum ſucceſſio?

Vid. Bollandus & Socii. Pearſonii diſſertat. poſthumæ ab Henr. Dodwello editæ. du Pinius in ſua Bibliotheca Eccleſiaſtica t. 2. qui eſt trium priorum ſeculorum.

Sintne Decretales veterum Paparum usque ad Siricium ſuppoſitæ?

Vid. Blondelli Pſeudo-Iſidorus & Turrianus vapulans, du Pinius in ſua Bibliotheca.

Num S. Creſcens ab Apoſt. Paulo ad Gallos miſſus fuerit?

Vid. Auctores ſuperius allegatos, qui de miſſione Apoſtolorum ad Gallos veteres, & de Religionis in iſtis regionibus conſtitutione agunt.

Num Lazarus & Maria Magdalena Maſſiliam pervenerint?

Vid. Launojus in tractatu de hoc argumento.

Num Simon Magus Romæ in aërem per magiam raptus S. Petri Ap. precibus in terram præceps dejectus fuerit?

Vid,

Vid. Valesius in suis ad Eusebium observat. & du Pinius in Bibliotheca.

Nam statua, de qua S. Justinus ait, quod in Simonis honorem erecta Romæ fuerit, Simoni Mago, an Semoni Sanco fuerit consecrata?

Vid. du Pinius in hanc quæstionem. Tillemontius & Boileau de Sphalmatis virorum in re litteraria illustrium.

Sitne Nicolaus Diaconus, Nicolaitarum sectæ auctor?

Vid. Arnaldi secunda pro Jansenio Apologia. du Pinius & Tillemontius de hæresi Nicolaitarum, & du Pinius in sua ad Petitdidierum responsione.

Seculum II.

Sitne Ignatius illarum Epistolarum auctor, quæ sub nomine illius hodie extant?

Quænam Epistolæ vindicari ipsi possint, quæ jure in dubium vocari?

Quæ vera sit Epistolarum S. Ignatii editio?

Vid. Blondellus & Dallæus, Usserius, Isaacus Vossius, Hammondus, Pearsonius. Cotelerius, Tillemontius, du Pinius in Epistolas S. Ignatii, aut de iisdem.

Num secunda Epistola, quæ S. Clementi Romano inscribitur, revera sit ab illo?

Vid. Patricius Junius, qui utramque edidit. Cotelerius, du Pinius, Tillemontius in S. Clementem.

Quis Constitutiones Apostolicas cuderit? & quando?

Vid. Morinus de Sacris ordinat. p. 4. Cotelerius. Du Pin & Tillemontius: it. Dallæus & Beveregius.

Quæ-

Quænam sit Patriarcharum in sedibus Patriarchalibus Romana, Alexandrina & Antiochena per tria priora secula successio?

Vid. Du Pinius t. l. Biblioth. & Tillemontius.

Patriarcha Alexandrinus fueritne per Episcopos Provinciæ consecratus, an à Presbyteris, manus ei imponentibus, denominatus saltem, ut Eutychius tradit?

Vid. Morinus de sacris ordinat. p. 3. Seldenus in Annales Alex. Eutychii, du Pinii t. l. Biblioth. p. 2. Tillemontius.

De Historia Persecutionum in Christianos ab Imperatoribus gentilibus ad Constantini M. usque tempora excitatis? *Fueritne ingens aut exiguus martyrum numerus?*

Vid. Historia Ecclesiastica. Dodwellus de paucitate Martyrum, Theodor. Ruinarti ad hanc Dodw. dissertationem responsio, præfixa Actis Martyrum genuinis. du Pinius t. l. 2. parte Biblioth.

In quonam dissensio Papæ Victoris cum Episcopis Asiaticis ob celebrationem Paschatis constiterit?

Num Victor Asiaticos excommunicationis fulmine percusserit, eoque concesso, num eapropter à communione Ecclesiæ Asiatici fuerint separati?

Num quæstio hæc sit de fide?

Quando composita lis fuerit?

Quænam ob eandem Concilia sint coacta?

Vid. Blondellus de Primatu p. 27. Card. Perronius in sua Responsione. Valesii Annot. in Histor. Eccles. Eusebii Lib. V. c. 23. & 24. du Pinius in sua Biblioth. t. 1. p. 2. Petitdidieri observat. & du Pinii ad eas responsio.

Qui-

Quinam hac de re (de Paschali tempore) usus in Ecclesiis Anglicanis atque Scoticis obtinuerit?

Vid. Mabillonius t. I. Annalium Benedictin. in præfat. atque notis suis in tertium Bened. seculum §. 2.

Seculum III.

In quonam dissensio S. Cypriani & Episcoporum Africanorum cum Stephano Romanorum Episcopo ob rebaptizationem hæreticorum constiterit? Num Stephanus eos excommunicaverit? Quæ Concilia propterea habita sint? Quodnam concilium plenarium, ut Augustinus vocat, quæstionem hanc composuerit? num Arelatense, an Nicænum? Quem morem Ecclesiæ Orientales & Occidentales hâc in re retinuerint?

Vid. præter Cypriani & Firmiliani Epistolas, quæque Eusebius habet, Launojus, Nicolai & David de Concilio Plenario. Du Pin in sua Biblioth. t. I. Tillemontii Annotat. in S. Cyprianum & Jo. Pearson in Annalibus S. Cypriani. edit. Anglicanæ.

Quando Ecclesiæ transalpinæ, i. e. Gallicanæ fidem receperint?

S. Dionysius Gallorum Apostolus fueritne idem ac Dionysius Areopagita, vel alius quidam Dionysius, qui Anno 250. in Galliam pervenit?

Vid. Sirmondi diss. de duobus Dionysiis, Launoji varia scripta tam de Dionysio Gallico, quam aliis missionibus primorum Galliæ Apostolorum Marcæ dissertatio de Dionysio Gall. Valesii Eusebio præmissa, du Pinus atque Tillemontius de S. Dionysio.

Sintne

Sintne libri isti, quos vulgò Dionysio Areopagitæ tribuunt, verè ab eo compositi.

Vid. pro affirmativa Pet. Halloixius, quem Natalis Alexander exscripsit; in negativam partem auctores supra allegati, quibus adde Morinum p. l. de Ordinat. Sacris & Dallæum de Pseudepigraphis Dionysii.

Sitne Papa Marcellinus revera lapsus ad thus adolendum idolis & num acta Concilii Sinuessensis in quo damnatus fertur, sint alicujus fidei, an supposititia?

Vid. Baronius ad annum 302. du Pinius, Tillemontius.

Quo tempore Concilium Eliberitanum habitum fuerit?

Vid. Ferdinandus de Mendoza de Concilio Illiberitano. Albaspinæi Observationes: Morinus Lib. VI. de Pœnitentia. du Pinius & Tillemontius.

Seculum IV.

Omnes de Donatistis quæstiones historicæ pertractatæ sunt ab Albaspinæo ad Optatum, à Valesio in Dissert. de Schismate Donatistarum, annotationibus Eusebianis annexa, à Du Pinio in historia Donatistarum, edito, à se Optato Milevitano præmissa: in Præfatione Benedictinorum ad operum. S. Augustini tomum IX. qui est contra Donatistas.

Cuinam jus competat, Concilia generalia convocandi, in illis præsidendi, eaque confirmandi?

Vid. Launojus in Epistolarum suarum tomo. II.

Quot

Quot numero Episcopi in Concilio Nicæno fuerint?

Vid. Hermantius in vita S. Athanasii, Tillemontius, du Pinius: Bernhardus Montfauconius.

Quid de Canonibus ejusdem Concilii Arabicis sentiendum sintne genuini?

Vid. iidem & de Marcâ Lib. V. de Concordia.

Quomodo sextus Concilii Nicæni Canon sit intelligendus? num de Patriarchis an Metropolitanis agat? Num Primatus Papæ inde adstruatur vel destruatur?

Vid. Launojus de Sensu Canonis Nicæni sexti: Valesii diss. de eodem, post annot. in Eusebium, Beveregius in Pandectis. Canonum Annot. in Can. VI. Nic. Blondellus in Opere de Primatu Eccl. Marca Lib. I. de Concordia Lib. VI. & VII. du Pinius, qui omnes in utramque partem rationes in de antiqua Ecclesiæ disciplina conlegit.

Quid intelligendum sit per Provincias suburbicarias, cujus Ruffinus in traductione Canonis meminit?

Vid. Jacobus Gothofredus, Salmasius, Blondellus, Sirmondus, Lechasserius, imprimis du Pinius, qui omnes explicationes in de antiqua Ecclesiæ disciplina dissertatione prima congessit.

Utrum Eusebius Cæsariensis fuerit Arianus?

Vid. testimonia Veterum, ab Henrico Valesio collecta, & in principio Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii edita, de Eusebio.

Præterea videantur Historici Ecclesiastici tam veteres, quam recentiores, quorum aliqui eum defendunt, alii graviter Arianismi reum agunt. Baronius, Bellarminus, Hermantius,

Natalis Alexander, Nanus Tillemontius, & Bernardus Montfaucon in præfatione Commentario Eusebii in Psalmos præmissa, hæresis Arianæ reum postulant. Georg. Bullus, Guil. Cave, & Petit-Didierius illum defendunt. Medium tenet Du-Pinius in sua Bibliotheca Eccles. & Responsione ad Petitdidierium.

Concilium Sardicense An. 347. habitum an fuerit œcumenicum?

Vid. Baronius ad hunc annum. Du Perron lib. I. Replicæ c. 33. Hermantius in Vita Athanasii. Tillemontius, Du-Pin in Bibliotheca Eccl. & in tractatu de Antiqua Ecclesiæ Disciplina Diss. II. Boileau de Antiquis & majoribus Episcoporum causis.

Jus Episcopo Romano canonibus 3. 4. 7. hujus Concilii adscriptum num sit Jus appellationis verum, an solum simplicis revisionis.

Vid. Marca de Concordia Sacerdotii & Imp. l. 7. Boileau de ant. & maj. Ep. causis. Du-Pin de Antiq. Eccl. disciplina. Quesnel Dissert. VIII. ad Opera Leonis M. n. 17.

De Appellationibus Episcoporum ad sedem Apostolicam.

Vid. Marca lib. VII. David. de Judiciis Canonicis, cum refutationibus Boileauii & Gerbasii de causis majoribus. Christiani Lupi tr. de Jure Appellationis ad sedem R. Quésnelli Dissertationes ad Leonem, in causa Hilarii Arelat. & aliorum. Du Pinii Dissert. de Appellationibus.

De Concilio Colonienſi contra Euphradam num An. 346. vere convocatum fuerit?

Vid. Marca Concord. Lib. VI. c. 17. Boileau de Cauſ. Maj. Du-Pin de Antiq. Eccleſ. Diſcipl. & in Biblioth. Eccleſ. Sec. IV. tom. 2.

An Marcellus Ancyranus vere fuerit hæreſi Sabellianæ aut Samoſatenianæ addictus? tum, an Athanaſius ſe ab ejus communione ſepararit?

Vid. Euſebius libris II. contra Marcellum. Athanaſius & Baſilius variis operum ſuorum locis. Julii Papæ epiſtola ad Orientales. Petavius in Dogmatibus Theol. Du-Pinius & Tillemontius: & annotationes Bern. Monſauconii in Athanaſii epiſtolam ad Monachos.

De Concilio Conſtantinopolitano, ſecundo œcumenico.

Vid. Acta & Hiſtoria in Scriptor. Eccl.

De numero Canonum in hoc Concilio editorum. Tresne ſint, an ſeptem? Item, *duone fuerint Concilia an tria ibidem celebrata?*

Vid. Du-Pinius & Tillemontius.

Num Occidentales, qui ſe illi oppoſuerunt, id tamen approbarint?

Vid. Iidem.

Num tertius Canon adſcribat Epiſcopo Conſtantinopolitano jura Patriarchalia ſuper Thraciam, Pontum, Aſiam? an ſolum nudum honoris gradum?

Vid. Morini Diſſert. Eccleſiaſticæ. Marca in diſſertatione poſthuma de hoc argumento. Du-Pin de Antiqua Eccl. Diſciplina Diſſ. I. & in Bibliotheca. Tom. II. Sec. IV.

Seculum V.

Num Neſtorius erroneum de Incarnatione Chriſti conceptum habuerit & in quonam error ejus conſtiterit?

Vid. præter loca ex Neſtorii libris excerpta & in actis Concilii Epheſini atque Mario Mercatore extantia, Epiſtolarum veterum in & de Concilio Eph. olim jam Scriptarum farrago à Chriſtiano Lupo editæ, quas deinde correctiores dedit Baluzius in nova Collectione Concil. Porro quicquid ſcriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ de Neſtorio illiusque errore habent. E recentioribus liber, cui titulus eſt, *de ſuppoſito*, quem absque tamen addito nomine ſuo Derodonus compoſuit; cum reſponſione Dion. Petavii. Joh. Garnierus in ſuis diſſertat. ad Marium Mercatorem. du Pinius in Biblioth. & in Hiſtoria Concilii Epheſini.

Num Cyrillus in errorem Neſtoriano errori oppoſitum delapſus ſit.

Vid. Iidem.

Num Johannes Antiochenus & Theodoretus in errore Neſtoriano hæſerint?

Vid. Præter acta Concilii Epheſini & Chalcedonenſis, Marius Mercator, Facundus Hermianenſis, quique in tria capitula commentati ſunt. P. Petavius de Incarnatione, Epiſtolæ à Lupo editæ: du Pinius.

In quo Eutychis hæreſis conſiſtat?

Præter acta Concilii Chalcedonenſis, Theodoreti ſcripta, & Marium Mercatorem, Liberati Breviarium, & hiſtoricos Eccleſiaſticos.

Vid.

Vid. Petavius de Incarnatione.

Concilium Ephesinum secundum, alias λυςρικὸν, seu latrocinale dictum, sub Dioscuro Ep. Alexandrino habitum, num œcumenicum atque liberum fuerit?

Vid. hâc de re Historici Ecclesiastici.

Num Legatus Papæ Leonis ad hoc Concilium Julianus Coënsis fuerit, an Julianus Episcopus Puteolanus?

Vid. Marca Lib. V. de Concor. Morinus in Exercitationibus Eccles. c. 2. Lupus in Pseudo-synodum Ephesianam pro Juliano Coënsi eum habent. Baluzius in Præfat. ad Concil. Chalced. & Quesnellus in Epist. 24. S. Leonis probant, Julianum Episcopum Puteolanum fuisse. Quesnellus in via eum exspirasse putat, Baluzius contrarium sentit.

Quid egerit S. Leo, ut Concilium Chalcedonense convocaretur?

Per quem fuerit coactum?

Quis in eo Præsidis officio functus sit?

Vid. Historici Eccles. & Launojus P. VI. Epist. du Pinius.

Quomodo accepta sit in illa Synodo Leonis Epistola ad Flavianum? Annon regulæ instar, ad quam judicium formaretur?

Vid. Acta Concilii.

Canones Concilii Chalced. num fuerint ab Episcopo Rom. Leone approbati? an sine hujus approbatione recepti per Orientem?

Vid. Acta Concilii. Leonis Epistolæ post Concilium scriptæ. Allatius l. 1. de Consensu Eccl. Orient. & Occid. Quésnellius Differt. de Vita &

& rebus gestis Leonis. Marca de Concord. l. III. Du-Pin in Biblioth.

Actio in Domnum Antiochenum, in Concilio damnatum, verane sit an suppositititia?

Vid. Quesnellii Dissert. IX. ad Leonem, qui falsam retur & confictam. Baluzius contra in præf. ad Concilium Chalced. ut veram tuetur. Du-Pinius utriusque rationes recenset & expendit.

De Hæresi Pelagiana; Placito Pelagianorum: & Sententiæ condemnatoriæ in illos multoties latæ.

Præter libros S. Augustini & Prosperi, ut & Marii Mercatoris, tum Historicorum Ecclesiasticorum.

Vid. Vossius, Usserius, Jansenius, Norisius in Historia quisque Pelagiana. Joh. Gamerii Dissert. ad Marium Mercat. Benedictinorum Paris. præfatio in tomum X. Opp. Aug. Du-Pinius in Bibliotheca, & Supplemento.

Semipelagianorum error in quo constiterit? num hæretici fuerint?

Vid. Iidem.

Num surrexerit ævo illo hæresis aliqua Prædestinatianorum?

Vid Sirmondus de Hæresi Prædestinatiana. Gilbert. Mauguini Vindiciæ gratiæ & prædestinationis cont. Sirmondum.

Scripta hanc in rem varia, Du-Pinius ad Seculum IX. quo valide recruduit illa quæstio, fuse illam tractat.

Quod nam fuerit dissidium Hilarii Arelatensis cum Leone? Num recte defenderit Hilarius jura metropo-

tropolitani Arel. in Galliæ Narbonensis Episcopos in causa inprimis Celidonii contra Papam?

Vid. Quesnelli dissert. V. ad Leonem apolog. pro Hilario, & quæ habent Balucius & Du-Pinius.

Num Concilium quoddam Teleptæ vel Tellæ in Africa habitum fuerit, quæque de Concilio hoc ad nos pervenerunt, sint genuina?

P. Quesnellus in sua ad Leonem dissert. XV. negativam & Baluzius in dissertatione sub finem Concordiæ Petri de Marca edition. recentioris, subjuncta, affirmativam partem defendit.

De causa Acacii Constantinopolitani.

Præter Historicos Ecclesiasticos veteres & modernos lege Valesii dissertationem in fine Theodoreti.

Seculum VI.

De controversia Monachorum Scythicorum circa propositionem: num unus è Trinitate sit passus? sit propositio hæretica an orthodoxa, vel an quæstio fidei sit?

Vid. præter historicos Card. Norisii diss. quæque du Pinius in suo supplemento habet.

Quid sentiendum de tribus capitulis in Concilio generali quinto damnatis?

Præter acta hujus Concilii, quæque Facundus Liberatus, atque Vigilii Papæ scripta habent.

Vid. Card. Norisii dissert. de hoc Concilio subjuncta Historiæ Pelagianæ. P. Garnerii de eod. diss. post annot. in Liberati Breviarium. Baluzius in Nova Collect. Conciliorum. du Pinii in Biblioth. atque Historia sua Sec. VI.

Num Gregorius M. ex ordine S. Benedicti monachus, an ex ordine sectatorum Basilii fuerit?

Vid. Mabillonii diss. in qua evincere conatur eum ex ordine S. Benedicti fuisse, in fine Annalium Benedictinorum t. I. aliaque ejusdem Mabillonii diss. in fine I. tomi Seculorum Bened. cui Abbatis Barcosii, qui alius fuerat sententiæ epistolam inseruit.

Seculum VII.

An Concilium VI. Papam Honorium tanquam hæreticum damnaverit? atque an ille fuerit hæreticus?

Vid. præter acta Concilii VI. Combefisius de Hæresi Monothelitarum. P. Joh. Garnerius in diss. ad finem libri Diurni Pontificis Romani abs sese editum. Du-Pin in suis dissert. atque Historia, aliaque de Honorio scripta in lucem publicam edita.

Seculum VIII.

De Iconoclastis, quæque in Oriente & Occidente ob imaginum cultum gesta fuerunt.

Vid. Acta Concilii Nicæni II. & Francofurtensis. Libri Carolini, Concilium Parisiense, Jonas Aurelianensis, Agobardus & reliqui auctores de imaginum cultu supra citati.

Seculum IX.

Historia Photii, deinceps de restitutione Ignatii, rursusque nova ad sedem reductione Photii deque schismate Græcorum.

Vid.

Vid. Acta Concilii VIII. Joannis VIII. Epistolæ. Allatius de Consensu Eccl. Orient. & Occid. item, de Synodo octava Photiana Marca L. I. de Concordia. du Pinius in Historia Concilii.

Cur Leo III. additionem in Symbolo particulæ Filioque, *ægre tulerit? quando vox hæc Symbolo addita fuerit?*

Vid. Theologi supra de processione Spiritus à Patre & Filio allegati.

Num historia Johannæ Papissæ ficta sit?

Vid. Allatius, Blondellus, Phil. Labbeus, peculiaribus eam refutarunt dissertat. Maxima Protestantium pars. imprimis Salmasius, Missonius, Spanhemius, Maresius, Coignardus aliique, eam adstruunt. Launojus in unâ Epistolarum suarum P. IV. Mauritio Tellierio Archi Episcopo Rhemensi dedicata invictis relationem eam argumentis refutat.

Num Gotteschalcus Monachus hæreticus fuerit? an hoc seculo hæretici Prædestinatiani surrexerint, quid de Fausto Rejensi sentiendum?

Vid. Sirmondi Histor. Prædestin. Ludov. Cellotii Historia Goteschalki Jac. Usserii Hist. Goteschalki, Mabillonii præfatio in P. II. Seculi IV. Benedictinorum. Gilbertus Maugini Vindiciis prædestin. & gratiæ, Du-Pin ad hoc Seculum.

Num Jo. Scotus Erigena auctor libri, cui Bertrami nomen est præfixum, vel Ratramnus Monachus Corbiensis potius operis hujus auctor sit?

Vid. Marcæ & Parisii dissertat. qui librum hunc Jo. Scoto, atque Mabillonii, Boileau, du Pinii dissertat. qui Ratramno vindicant.

Secu-

Seculum X.

Quid cogitandum sit de hoc Seculo, num ignorantiæ Seculum fuerit, nulla ne præclara ingenia famam ac splendorem ipsi conciliarint?

Vid. Baronius de hoc Seculo. Claudius Baronii vestigia premens ignorantiæ plenum illud increpavit. Auctor libri de perpetuitate fidei, tum minoris tum majoris editionis illud excusat, Mabillonius vero & du Pinius medium tenent.

Num doctrina de Eucharistia seculo hoc immutata fuerit?

Vid. Perpetuitas fidei, aliaque hâc de re scripta supra memorata.

Quid de Papa Formoso judicandum, deque modo, quo post mortem in eum actum fuit, deque illius Ordinationibus?

Vid. Auxilius, & Morinus de Ordinationibus. Historici, & acta Conciliorum tunc temporis habitorum.

Num Johannes XII. meritò de sede Apostolica dejectus. Leo VIII. in illius locum jure surrogatus fuerit?

Vid. Historici, Launoji Epistolarum Lib. IV. du Pinius.

Quo tempore septem Imperii Electores confirmati sint?

Vid. Cardin. Bellarminus & Baronius, liber in Goldasto de institutione Electorum. quæque du Pinius in Diss. VII. de Antiqua Ecclesiæ Disciplina habet.

Num

Num Arnulphus Archiepiscopus Rhemensis ab officio suo jure remotus? Gilbertus vero legitime electus fuerit? Arnulphi autem Ordinationes nullius valoris putandæ?

Vid. Marca de Concordia P. Morinus de Ordinat. du Pinius.

Seculum XI.

Lites & dissidia Gregorii VII. Papæ cum Henrico IV. Imperatore.

Vid. Historici, quique de illimitata Regum potestate scripserunt, imprimis Barclajus, du Pinius.

Berengerii de S. Cœna sententia, Concilia adversus eum habita, retractationes ejus.

Vid. Polemici & Historici, imprimis observatio quædam Mabillonii in suis Annalibus & du Pinius.

De Michaëlis Cerularii schismate.

Vid. Allatius Lib. II. de Consensu. Acta Leonis IX. t. XI. Conciliorum, & Historici Ecclesiastici.

Seculum XII.

Num Concilium Lateranense primum œcumenicum? Item, fueritne Anno 1122. an 1123. habitum?

Vid. Historici, Cossartii & Baluzii in acta hujus Concilii observat.

Historia litis Paparum atque Imperatorum de Investituris.

Vid. Marca L. VIII. de Concor. Thomassinus de disciplina Ecclesiastica variis locis. Paulus Sarpius de Beneficiis. Janus à Costa. du Pinii Bibliotheca.

Num

Num Petrus Abælardus & Gilbertus Porretanus Hæretici fuerint?

Vid. Mabillonius in S. Bernhardum. Hiſtorici & imprimis du Pinius.

De origine & progreſſu Sectarum Waldenſis & Albigenſis earumque dogmatibus.

Vid. Mabillonius in ſuis obſervat. Boſſuetus in Hiſtoria variationum ap. Proteſtant. du Pinius in ſua Bibliotheca.

Seculum XIII.

Quid de canonibus Concilii quarti Lateranenſis exiſtimandum? Num Concilio an Papæ originem debeant?

Vid. Barclaji Reſponſio ad Bellarminum. du Pinius.

Num Abbas Joachimus errores docuerit?

Vid. Gregorius Lodevius & Franciſcus Bivarius, qui eum defendunt. Hiſtorici Eccleſiaſt. eum damnantes. Quæſtio hæc tractata fuit in lib. de Hæreſi Imaginaria. & à du Pinio.

Concilium primum Lugdunenſe an inter Concilia generalia referri debeat?

Vid. Barclajus & du Pinius, illud negantes.

Num Fridericus II. imperatoriâ ſuâ dignitate jure meritoque exutus fuerit?

Vid. Barclajus, Vigorius Richerius, Goldaſtus T. II. Conſtit. Imperial. qui poſtremus multa litium Paparum cum Friderico exempla adduxit, du Pinius de ant. Eccleſ. Diſcip. Diſſ. VII. in Bibliotheca, & in ſuo de poteſtate Eccleſiaſtica & Politica libro.

Hiſto-

Historia dissensionis Bonifacii VIII. atque Philippi Pulcri,

Vid. Peculiaris de ea confectus liber, & Puteani Collectio variorum monumentorum peculiari volumine Parisiis 1651. in folio edita. du Pinius in libris anteà nominatis.

Seculum XIV.

Quid de deletione Ordinis Templariorum eorumque pœnâ statuendum? Num eâ digni fuerint?

Vid. Historia Templariorum à Puteanis fratribus edita. Du Pinius in Bibliotheca.

Num S. Bruno causam secessus sui in eremum ceperit à miraculo resurgentis in capulo Canonici Parisiensis?

Vid. Theophilus Raynaudus. Launojus de vera causa secessus S. Brunonis in Eremum. Andr. du Saussay contra Launojum. Massonius ab initio Statutorum ordinum Cartheusiensium.

Paparum Avenionensium schisma.

Vid. Baluzii vitæ Paparum Avenion. Eædem antea per Puteanos editæ & du Pinii Historia.

De Historia Concilii Pisani & Constantiensis, num Concilia hæc œcumenica fuerint?

Vid. præter acta Richerii t. III. Launoji Epist. P. II. du Pinii Biblioth. & Gersoniana Acta quæ du Pinius edidit tam Gersonis, quam de Johanne Parvo: tum Historia Concilii Constantiensis per Du l'Enfent edita, quæ materiam hanc satis exhaurit.

Num

Num

Num Concilium Florentinum œcumenicum sit.

Num ejus de unione Græcorum decretum instar regulæ sit habendum?

Quænam sint capita religionis, de quibus communi consensu Concilii decreta extant? & quænam utrinque, in alterutris tolerata solum?

Decretum unionis cum Ecclesia Armena num à Concilio an à solo Papa Eugenio provenerit.

Vid. acta hujus Concilii in collectione Conciliorum. Sylvestri Sguropuli Historia hujus Concilii. Card. Lotharingi declaratio. Allatius de Consensu utriusque Ecclesiæ, Launoji Epistolæ. du Pinii Historia.

Seculum XVI.

Num quintum Concilium Lateranense œcumenicum sit? num in Gallia receptum fuerit.

Vid. Auctores supra allegati imprimis Richerius, Launojus, du Pinius.

Historia Sanctionis Pragmaticæ atque Concordati.

Ex professo hanc pertractarunt Puteani fratres in Historia Pragmaticæ, & du Pinius in Histor. Seculi XVI.

Historia Concilii Tridentini. Num Concilium hoc œcumenicum fuerit?

Quæ materiæ in eo pertractatæ, decisæ atque definitæ fuerint?

Vid. Historias hujus Concilii suppeditant Fra-Paolo s. Paulus Sarpius, qui & id. Petrus Suavis. & Pallavicinus. Cæsar Aquilinius de tribus historicis Concilii Tridentini, Instructio-

nes Legatorum Gallic. ad Concilium : Commentarii, Orationes, epistolæ, &c. huc spectantes editæ primum à Jac. Gillotio, deinceps à Puteano. du Pinius Histor. Eccles. Sec. 16.

Num Concilium hoc sive quoad doctrinam, sive disciplinam in Gallia receptum fuerit.

Quæ sint capita, disciplinæ, quæ Regum juribus, & Ecclesiarum Gallicarum consuetudinibus adversentur?

Vid. liber hac de re editus, una cum alio composito ab ipsis Legatis. Notæ in Concilium, digestæ per Racicotum, du Pinius in fine Historiæ Concilii Tridentini.

Seculum XVII.

De Historia hujus Seculi Ecclesiastica in genere?

Vid. Quatuor volumina haud dudum à du Pinio edita.

Censuræ Duacenses & Lovanienses ab 1587. & 1588. contra Lessium aliosque Jesuitas fuerintne in dedebita Censurarum forma eleboratæ? Num à sancta sede damnatæ?

Vid. Censuræ ipsæ, & Jesuitarum scripta in eorum defensionem. Rursus Justificatio seu defensio harum Censurarum, aliaque scripta publica tempore isto in Flandria edita. P. Quesnelli defensio harum Censurarum. P. Serrius Libro I. Histor. Congregationis de auxiliis. du Pinius in Historia Seculi XVII.

Historia contentionum inter Dominicanos atque Jesuitas de Gratia & Prædestinatione occasione libri

bri Ludov. Molinæ, quem inscribit Concordia rationis & fidei: à quo nomen Molinistarum deinde fluxit.

Quid hâc de re in Hispania acciderit?

Quid Romæ in Congregatione de auxiliis Gratiæ ab Anno 1597. usque ad 1605. factum sit.

Quid de utrâque parte in his Congregationibus ventilatum?

Num Bulla quædam eapropter fuerit à Clemente VIII. composita?

Paucis: num res decisa fuerit?

Vid. Historiæ de congregatione de auxiliis P. Serri, Thomæ, Lemosi, Theodori Eleutherii, aliorumque in utramque partem scripta à P. Gennudio atque Serri edita.

Historia Interdicti Veneti seu Excommunicationis contra Venetos à Paulo V. Papa fulminatæ 1606. & 1607.

Vid. Frater Paulus Sarpius & du Pinius: quæque illo tempore scripta exierunt.

Quid de interdicto hoc statuendum?

Vid. Scripta Fratris Pauli, & Fulgentii, aliorumque plurium Theologorum & Conciliorum adversus interdictum hoc, scripta Bellarmini, Baronii, Gretseri pluriumque Theologorum & Canonicorum Romanensium ad excommunicationis vim & valorem defendendam composita, quorum du Pinius Catalogum dat. Jungi his possunt scripta, in Gallia paulo post de potestate ecclesiastica & temporaria, deque Excommunicationibus composita.

Cen-

Censuræ Facultatis Theologicæ. Responsio Jo. Floidii Jesuitæ contra Censuram. Defensio Eduardi Knokii. Hallieri opera Dn. le Mâitre, nec non Petrus Aurelius pro defensione Censurarum.

Historia Jansenismi tam in Flandria, quam in Gallia, ex quo Jansenii Augustinus, famosum opus in publicum prodiit, ad hodierna usque tempora.

Vid. Acta, bullæ, & libri in utriusque partis favorem hactenus editi. Masii Historia quinque propositionum. Gemina, seu duplex potius Jansenismi Historia in Flandria edita, nec non Du Pinii Historia, quam absque partium studio Seculo suo XVII. inseruit.

Quæstiones Particulares.

De propositionibus ex Epistolis Arnoldi excerptis damnatis & rejectis.

De libro ejusd. de frequenti Communione.

De Casuistarum doctrina morali.

De formula juramenti loco contra Jansenii propositiones subscribenda.

De distinctione facti & juris in causa Jansenii.

De compositione Anno 1668. sub Clemente IX. facta.

De Novo Testamento Gallico ex editione Montensi, cujus pretii sit, & num prohibenda?

De casu Conscientiæ quodam Janseniano.

De Novo Testamento cum Quesnelli meditationibus, & observationibus practicis & Clementis XI. contra librum hunc famosissima Constitutione.

Tam multa hactenus de rebus his ab utraque parte Scripta fuerunt edita, ut omnium eorum lectio ferme sit impossibilis: præcipua itaque seligenda.

De revocatione edicti Nannetensis, & Religionis Reformatæ in Gallia suppressione.

Quomodo acciderit?

Vid. Acta Cleric Gallic. Edictum Nannetense, quæque in defensionem illius edita fuere, inprimis prolixa ejus Historia.

De contentionibus Regis atque Cleri Gallici cum Romana Aula propter Regalium jurium ad omnes Galliæ Ecclesias extensionem.

Vid. Edicta atque Declarationes Regis, Cleri Gallic. Acta, Innocentii XI. Bullæ aliaque de Regaliæ jure scripta.

De Congregationis Anno 1682. habitæ declaratione potestatem Ecclesiasticam atque Politicam concernente.

Vid. Declaratio. Episcoporum Epistolæ & Scripta hujus declar. apologetica, imprimis du Pinius de potestate temporali & ecclesiastica.

De Quietismo, Michaëlis de Molinos, illiusque asseclarum condemnatione.

Vid. Molinosi libri. Innocentii XI. Papæ bulla & Episcoporum doctrinam ejus damnantium mandata, aliaque in illius refutationem vulgata literarum monumenta.

De damnatione libri notissimi, ab Archi Episcopo Cameracensi Fenelonio editi, cui titulus Placita sanctorum.

Vid.

Vid Boſſueti contra librum hunc varia ſcripta. Archi-Epiſcopi Pariſienſis & Epiſcopi Chartrenſis Inſtructiones Paſtorales. Cameracenſis apologiæ & reſponſiones. Innocentii XII. Bulla in qua liber hic rejicitur. Acta Congregationum Provincialium, quæ Papæ bullam recipiunt, & Fenelonii Regulas Sanctorum rejiciunt, inſerta Actis Congregationis Generalis Cleri Gallicani, Regis mandata, & Dn. d'Agueſſeau allocutiones ſuaſoriæ, quas ante inſcriptionem, i. e. ſolennem mandatorum regiorum inſertionem in tabulas publicas Curiæ ſupremæ (enregiſtrement du Parlement) habuit.

De cultu Chinenſium.

Vid. Miſſionariorum peregrinorum atque Jeſuitarum libri. Sententia Doctorum Facultatis Theologicæ Pariſienſis. Papæ Brevia, abſolutâ ultima Conſtitutione confirmata.

Num Chinenſes veram Religionem jam diu profeſſi ſint?

Vid. Cenſura Facultat. Theolog. Pariſ. 18. Octob. 1700. contra P. Comitis propoſit. Natalis Alexandri hâc de re ſcripta, & du Pinii defenſio cenſuræ Facultatis Theol. Pariſienſis.

De Diſciplina Eccleſiaſtica in genere.

Quinam Canones & Codices in diſciplin. Eccleſ. vim legis obtineant?

Vid. Juſtellus ad Codicem Eccleſiæ univerſalis. Marca de Concordia Sacerdotii & Imperii

Vid. Puteanorum historiæ.

De dignitate, functione, omnibusque officiis Ecclesiasticis, Beneficiis & Beneficiariis bonis Ecclesiasticis, immunitatibus, & privilegiis Ecclesiasticis.

Vid. Morini Ordinat. & P. Thomassinus de disciplina Ecclesiastica.

De quæstionibus juris Canonici.

Vid. Vanespen Jus Ecclesiasticum universum.

De disciplina Ecclesiæ externa in officiis Ecclesiasticis.

Vid. Auctores Seculi IX. hanc in rem inquirentes, quos in uno Bibliothecæ Patrum voluminum junctim reperies, liber de officiis Ecclesiasticis, & Amalarius de correctione Antiphonarii, tum Agobardi liber adversus eum. Ex modernis Cassander & Pamelius, Guilielmus Durandus in Rationali Divinor. Offic. Joh. Stephanus Durantes de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ. Jacobi Goari Euchologium Græcorum. Allatius de libris Græcorum Ritualibus: Mabillonii Liturgia Ecclesiæ Gallicanæ & Præfatio libri de Ordine Romano. Cardin. Bonæ Liturgica, deque Psalmodia liber, Bocquilloti & Grancolasii Liturgiæ, de-Vert de Ceremoniis. Ab. Renaudot de Liturgia Græcorum, Perpetuitas fidei atque Liturgiæ Græcorum, nuper editæ.

De Hierarchia.

De primatu Papæ. Vid. supra.

De distinctione Episcoporum, & Pastorum.

Vid. Morinus de Ordinat. Blondellus de sententia S. Hieronymi. Salmasii larvati Walonis Messalini liber, Henrici Hammondi refutatio Blondelli.

Quando & quomodo Episcopi Metropolitanis & Metropolitani Patriarchis subordinati fuerint?

Quodnam fundamentum divisionis Provinciarum & diœcesium Ecclesiasticarum fuerit?

Quinam fuerint Patriarcharum limites?

Num Papa totius Occidentis Patriarcha fuerit?

Vid. Morinus de origine Primatuum & Patriarchatuum. Marca de Concordia. Launoji & Valesii dissertat. in Canonem 6. Concilii Nicæni. Blondellus de Primatu Ecclesiæ. du Pinii diss. de veteri Ecclesiarum regimine. Salmasius, Sirmondus, Godofredus, Lechassierus, Aleander de Provinciis suburbicanis. Legi quoque possunt, quæ Emanuel Schelstratenus contra Eduardum Stillingfleetum Londinensem Decanum scripsit Institutione atque forma Ecclesiarum, Patriarchalium, Metropoliticarum, & in dissertatione de Ecclesia Africana.

De appellationibus ad S. Sedem.

Appellationes Episcoporum s. Ecclesiasticorum ad S. Sedem, num omni tempore usitatæ fuerint?

Jus illud, quod à Concilio Sardicensi in S. Sedis gratiam stabilitum fuit, num appellationis jus fuerit?

Num novum atque recens fuerit?

Num in Oriente receptum fuerit?

Quando

Quando in Occidente?

Vid. Marca de Concordia. du Pinius de antiqua Ecclesiæ disciplina. Lupus de appellationibus ad S. Sedem. Quesnelli dissertat. de appellat. Eutichetis, Flaviani, Theodoreti in fine Opp. S. Leonis.

De judiciis Episcoporum canonicis.

Num soli Papæ judicium primæ instantiæ vel in causa adpellationis competat? Quæ nam sit jurisprudentia, hâc de re per sanctionem pragmaticam & Concordatum stabilita?

Vid. Auctores in articulo præcedenti allegati, imprimis David, Gerbasius & du Pinius, quibus addi possunt Commentarii pro quatuor Episcopis editi.

De potestate Ecclesiastica & Temporali.

Num Papæ jus competat Reges bonis suis temporalibus privandi, vel de throno eos dejiciendi?

Vid. Barclaji Patris & Filii scripta. Libertates Ecclesiæ Gallicæ, Marcæ Concordia, du Pinius de antiqua Ecclesiæ disciplinâ, deque Potestate temporali & ecclesiastica.

Quousque potestas temporalis pertingat, possitne illa in rebus Ecclesiasticis locum habere?

Vid. Richerius. Libertates Eccles. Gallic. Fevretus de abusu. Marca de Concordia, plurimique scriptores in Goldasti Monarchiâ collecti.

De origine, institutione & dignitate Cardinalium.

Vid. Paulus Cortesius, peculiaris de orig. dign. & præeminentiâ Cardinalium liber Romæ 1612. editus, Panlicinus, item de Sallo, de origene

origine Cardinalitiæ dignitatis, tum de titulis eorundem & diaconiis Romanis.

De Legatis Paparum eorumque potestatis atque dignitatis origine.

Vid. Marca de Concordia, quæque in hac materia suse atque erudite Baluzius addidit. Franciscus de Roye, & de Salo de Legatis editi tractatus.

De auctoritate Episcoporum in approbandis Regularibus.

Vid. Jesuitarum Anglorum scripta, quæque Petrus Aurelius, le Maitre & Habertus illis regesserunt. Defensio auctoritatis Episcopalis, per Episcopos Andegavensem & Sylvanectensem. Variæ Facultatis Theologicæ Parisiensis Censuræ.

Num reliqui ordines juris divini sint?

Quænam sint eorum jura in relatione ad regulares?

Vid. Guilhelmi de S. Amore, opera Gersonii nonnulla, præfatio opusculis illis præmissa. Diversæ Facultatis Theolog. Parisiensis censuræ & libri de obligatione assistendi Missæ Parrochiali, supra allegati.

De Communione & Confessione apud Parochos Paschali.

Quid intelligendum sit per proprios Pastores, quibus juxta Concilii Lateranensis constitutionem Festo Paschatis confiteri debeant?

Vid. Launojus de Canone utriusque sexus, qui prolixe hanc in rem inquisivit.

De

De Residentia Episcoporum atque Pastorum.

Num divini juris fuerit?

Num Pastores teneantur suis in sedibus jugiter adesse?

An dentur rationes, quibus inde eximi possint?

Vid. Cajetanus de Residentia Episcoporum. Catharini duo libri. Gentiani Herveti duæ Epistolæ de Resid. Episc. Ea, quæ memorant historici Concilii Tridentini in Synodo de hac quæstione plurimis agitata. Claudius la Place de Residentia. Thomæ Campegii liber de Cardinalium assistentia ad Curiam Rom. & exemptione à residentia suis in sedibus Episcopalibus.

De decenti vita, moribusque Clericorum.

Vid. Jo. Chrysostomus de Sacerdotio, S. Gregorii Pastorale. S. Bernhardi Considerationum libri. Bellarminus de officio Episcopi. Espencæus in Epistola S. Pauli ad Timotheum atque Titum. aliaque plura modernorum scripta.

De cœlibatu Episcoporum, Sacerdotum, eorumque, qui sacris ordinibus continentur.

Num cœlibatus juris divini sit?

Num in primitivâ Ecclesiâ observatus fuerit?

Quando cœlibatus lex in Occidente vigorem atque vim suam obtinere cœperit?

Quæ ejus in Ecclesia Orientali fuerit observantia?

Num

Num ſententia illa, quam Spiridio in Concilio Niceno primo hac de re tulit, vera fuerit?

Num conveniat abrogari legem cœlibatus in clero & iis, qui Sacri ſunt ordinis?

Vid. Caſſandri ſententia de Clericorum cœlibatu. Thomæ Campegii liber, in quo demonſtrare conatur legem cœlibatus Clericorum minime abolendam eſſe, Jodocus Clictoveus. item, Nicolaus Faber de Cœlibatu Sacerdotum. Nec omittendi Proteſtantium libri, imprimis Vicelii, Georgii Calixti de Conjugio Clericorum, & quæ Grotius in ſuis ad Caſſandri Conſultationem annotationibus & contra Rivetum habet.

De beneficiis & reditibus Eccleſiaſticis in genere.

Vid. Pauli Carpii tr. de beneficiis. it. Petri Hallei. nec non, quæ ſcripſere Dartis & Roië. Thomaſſini vetus & nova diſciplina de beneficiis & beneficiariis. Simonius ſub nomine Hieronymi à Coſta de beneficiis & reditibus, edit. ult.

De pluralitate Beneficiorum.

Num permiſſum pluribus beneficiis frui?

Vid. Altaſerra & Claud. de la Place: it. Boileau de ſingularitate beneficiorum. Vivantii ad hunc librum reſponſio & judicium du Pinii in Bibliotheca Eccleſiaſt. Sec. XVIII.

De Commendis Eccleſiaſticis.

Commendæ num ſint permiſſæ?

Vid. Delfau, lib. de Abbate fiduciario, (l'Abbé Com-

Commendataire.) & quæ in utramque partem de hoc libro ſcripta ſunt, imprimis liber, cui titulus eſt : Defenſio Commendarum & Parochiarum primitivarum.

De jure Regaliæ.

Jus Regaliæ firmone ſtet talo?
Quamnam habeat originem?
Num ad ſolam coronam reſtringi debeat?

Vid. Pinſon, quæque in libro, *Libertates Eccleſiæ Gallicanæ* hâc de materia extant. Marca de Regaliæ jure. Cauleti Epiſcopi Apamienſis ſcripta. Liber cui titulus eſt : Cauſa juris Regaliæ diſcuſſa & examinata. Nat. Alexandri diſſertatio. Auzuti liber, qui falſa principia temere inſtitit.

De Annatis.

Num annatarum exactio permiſſa ſit?

Vid. Launojus de Simonia, ejusque adverſarius Galeſius.

De decimis.

Num juris divini ſint?
Quæ nam earum origo?

Vid. Canoniſtæ, & duo modernorum auctorum libri de decimis, quorum alter divinam eis originem adſcribit, alter contrarium ſentit. Paulus Sarpius de Beneficiis & Simon ſub nomine Hieronymi à Coſta in Hiſtoria Redituum Eccleſ. Nicolaus Magiſter de Patrimonio Eccleſiarum. Altaſerræ de reditibus Eccleſiaſticis duo libri. it. Seldenus de decimis.

De

De Simonia.

Quæstiones illæ de casibus, quid Simoniæ criminis accusari possit, quid non? à Canonistis & Casuistis pertractatæ fuerunt.

Vid. constans veterum traditio contra Simoniam testimoniis plur. allata in Launoji libro de Simonia.

De reformatione Ecclesiæ.

Quænam sint causæ, ob quas Ecclesia reformari possit, & debeat?

An reformatio etiam in ministeriale caput Ecclesiæ s. summum Pontificem ejusque aulam, sicut in ejus membra cadat?

Vid. Petrus de Alliaco, Gerson, Nicol. de Clemangis & Petrus Damianus. Durandus de modo celebrandi Concilium Generale. Alvarus Pelagius de planctu Ecclesiæ, Consilium Cardinalium aliorumque à Paulo III. ad reformandam Ecclesiam ablegatorum. Gentiani Herveti epistolæ in Concilio Tridentino scriptæ ad Salmeronem; & nonnulla alia Scripta recentiorum.

De Ordinibus Monasticis.

Unde vita Monastica originem ducat?

Quando ordines Monastici cœperint?

Vid. Auctores supra de Therapevtis allegati, Hospinianus & Altaserra de origine status Monastici.

Quas antiqui Monachi regulas habuerint? quænam eorum vivendi ratio fuerit? & quando varii Ordines Monastici in Oriente & Occidente sint constituti?

Vid.

Vid. Lucæ Holstenii Regulæ antiquæ, & quæ collectanea dedit, & Benedictus Hæphtenius in Disquisitionibus Monasticis. P. Mabillonius in præfat. seculorum Benedictinorum, & in historia sua. P. Mattene de antiquis Monachorum ritibus.

Exemtiones Monasteriorum an bene sint fundatæ an defendendæ?

Vid. Launoji varia scripta, imprimis liber ejus adversus privilegia S. Medardi, & P. Quatremaires Benedictinus in suo adversus Launojum scripto porro Facta pluscula, quæ exierunt de exemtionibus: v. g. Abbatiæ Focamensis, &c.

Quæ sint jura Monachorum & Regularium in administrandis Sacramentis?

Quo casu & quomodo ipsis permissum sit, illa exercere?

Vid. Constitutiones Cleri Gallicani ab Halliero collectæ, & à Gerbasio editæ. Launojus in Canonem: *omnis utriusque sexus.* Censura contra Vernantium & plura scripta diversis temporibus pro Parochis adversus Regulares edita. Lupi dissertatio de Monasteriis, deque Religiosorum prædicandi jure. Instructiones, mandata atque scripta Episcoporum Senonensis & Andegavensis contra Regulares, cum libellis commonitoriis Cleri.

Quæ Canonicorum Regularium origo sit?

Quando cœperint?

In quonam eorum jura atque prærogativæ consistant?

Vid. Fronto de Canonicis Cardinalibus. Desuos, Moulinet, Dantecourt, le Large, Duvau, Scripta, & Species facti Benedictinorum contentionis de antiquitate & primatu Canonicorum, Regularium atque Benedictinorum. S. Augustini de Monachatu Epistola, à Ferrando edita, Tillemontius in vitâ S. Augustini.

De Monialibus.

Quando fœminarum, virginitatis vota nuncupantium, communitates primitus constitutæ sint?

Fuerintne Claustris inclusæ?

Quo ætatis anno velamen ipsis datum sit.

Vid. Cypriani, S. Basilii, S. Ambrosii, S. Gregorii Nysseni, S. Gregorii Nazianzeni, S. Chrysostomi & S. Hieronymi de Virginitate vel de Virginibus. S. Leandri, & Gilberti Nogantii libri de virginitate. P. Fronteau dissertatio de virginitate honorata, erudita atque adorata.

De monialium cœnobiis.

Vid. Episcopi Gratianopolitani facti species, & quæ edita est à Monialibus Montisfloriacensis.

De monialium dotibus.

Liber hac de re ab Hermantio & Arnaldo editus, qui plenissime rem pertractat.

De Votis Monasticis.

Quando cœperit mos tribus se votis obstringendi?

Num permissa sint atque laudabilia?

Vid. Controversistæ. Theopholi Raynaldi liber tomo VI. Operum ejus extans.

Quæ ſint origines, progreſſus, regulæ atque conſtitutiones Ordinum monaſticorum & regularium?

Vid. Helioti Hiſtoria ordinum monaſticorum Religioſorum & militarium, aliquot voluminibus, quod opus quicquid dici poteſt & debet, iſthoc de argumento continebit.

De Jejuniis.

Quando lex de jejuniis lata fuerit?

Num jejunium quadrageſimale traditionis Apoſtolicæ ſit?

Quamdiu olim hoc jejunium in diverſis Eccleſiis duraverit?

Vid. Dallæus & Thomaſſinus de Jejuniis, & du Pinius in ſua ad Petitdidierum reſponſione.

De Feſtis.

Quando Chriſtiani ceſſatione ab omni opere ſervili celebrare feſta inceperint?

Quando feſta Sanctorum atque S.S. Myſteriorum introducta ſint?

Quale omnium & ſingulorum inſtitutum, & quod nam tempus dictum fuerit?

Quomodo illorum quodvis inſtitutum fuerit?

Vid. Jacobus Gretſerus & Hoſpinianus de Feſtis Chriſtianorum. Thomaſſinus de Feſtis. Bailleti vitæ Sanctorum.

Num in Epiſcoporum poteſtate ſitum ſit, feſtorum numerum vel augere vel imminuere?

Vid. Baſſompierre Epiſcopus Xenſienſis & Thiers de feſtorum imminutione.

De Templis & Ecclesiis.

Num veteres christiani certa conventûs loca, templorum nomine insignita, habuerint?

Num Mensæ Sacræ, in quâ corporis Dominici sacrificium fecerunt, altaris nomen imposuerint.

Quæ veterum templorum forma fuerit?

Vid. Bellarminus de templis. Leo Allatius de templis Græcorum, P. Mabillonius in suis, de Liturgiis, & præfationibus. Beveregius Annot. ad Pandectas Canonum.

Theologia moralis dogmatica.

De omnibus quæstionibus.

Vid. S. Thomæ secunda secundæ Partis sectio. Merbesii & Episcopi Gratianopolitani Theologia Moralis.

De casibus Conscientiæ.

Vid. nonnulli bonæ notæ Casuistæ e. g. Taulerus, Comitolus, & reliqui, caute tamen legendi. S. Beuve Casus conscientiæ. Dictionarium casuum conscientiæ nuper editum.

De probabilitate.

Vid. Mercorius, Fagnanus, Wendrokius, Honoratus, Fabri, Thyrsis Gonzalez Jesuitarum Generalis. P. Gilbertus Jesuita, duo hi posteriores optimi sunt, licet Fabri nec non plurium reliquorum Jesuitarum systematibus adversentur.

De usura.

Jure ne divino probibita sit?

Estne omnis in universum usura interdicta?

Vid.

Vid. Caroli Gaittei doctoris Theolog. Parisiensis vastum de Usura volumen. Correri Usus litterarum cambialium. le Maire refutatio hujus libri, & plura alia scripta. imprimis Molinæi. Salmasii de Usura, modo usurarum, & Fœnore Trapezitico. it. Launoji liber Manuscriptus.

De Eleemosyna.

Num divinitus præcepta sit?

Quo casu quis tenetur eleemosynam erogare?

Vid. post S. Clementis Alexandrini. S. Cypriani, S. Ambrosii, Gregorii Nazianzeni, S. Chrysostomi, aliorumque veterum de eleemosyna libros, quorum Bernutus libellorum supplicum magister in suo de eleemosyna christiana & ecclesiastica compendium dedit, Blasii Paschalis sub nomine Lud. Montaltii literæ Provinciales, Thiersii Patronus Pauperum. multique alii hâc de re tractatus.

De spectaculis.

Num christianis permissum sit, spectaculis & Comœdiis interesse?

Vid. Principis Contei de Comœdiis liber. Abba. Daubignac dissertatio de spectaculis theatralibus. Josephi Voysini defensio Principis. Contei. Nicolii tr. de Comœdiis. Quæstio hæc ex eo tempore frequenter agitata fuit, quo P. Gaffaro Theatircus comœdias peculiari tractatu magno conamine atque confidentia defendit, quem Jacobus Benignus Bossuetus Episcopus Meldensis, du Boisius,

Gerbæsius, Brunus, la Grangius & Pegurierus refutarunt. Confer etiam Gueti de spectaculis scripta.

De Theologia mystica.

Quem usum oratio mentalis præbeat?

In quonam veræ preces consistant?

Quid statuendum sit de oratione mentali, mereque contemplativa?

Num qui ad supremum perfectionis gradum enisum se putat, oratione tantum mentali acquiescere possit, neglectis omnibus reliquis mediis, nullaque sui ipsius vel mysteriorum ratione habita?

Num permissum sit de salute sua indifferentem esse, & si DEus velit, libenter velle damnari?

Amor DEI purus atque perfectus, num absque omni proprii commodi respectu esse debeat?

Vid. Barcosius Abbas Cyranus de Oratione mentali. Nicolius de Oratione. Nicolius & Crancolas adversus Quietismum. Fenelonii Archiepiscopi Cameracensis Regulæ sanctorum, & omnia scripta, Instructiones atque mandata Episcoporum, Meldensis, Parisiensis, Cartrensis & Cameracensis, Papæ judicium, & processus verbales i. e. Relatio actis & tabulis publicis inserta de acceptatione decreti Papalis in Provincialibus Gallicorum Episcoporum congregationibus.

Dantur

Dantur adhuc infinitæ aliæ quæſtiones, quæ de doctrina morali formari poſſent: ſed cum hæc in prolixas nimium ambages nos inducerent, benivolum lectorem rogamus, ut hac de re Caſuiſtas, materiam hanc ex profeſſo tractantes, adeat, imprimis Opera Moralia Epiſcopi Gratianopolitani, Merbeſii, & Natalis P. Alexandri, SanBeuvii caſus conſcientiæ, & novum caſuum conſcientiæ dictionarium.

FINIS.

INDEX TITULORUM

IN HAC METHODO STUDII THEOLOGICI OCCURRENTIUM.

CAPUT

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CAPUT

CAPUT XXII.

CAPUT XXIII.

CAPUT XXIV.

CAPUT XXV.

CAPUT XXVI.

CAPUT XXVII.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

CAPUT XXIX.

INDEX MATERIARUM, IN HOC SCRIPTO EXTANTIUM.

A.

Anti-

Chri-

de

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

Mori-

N.

O.

Q.

R.

T.

&

U. *Ubi-*

U.

Finis hujus Indicis.